BIBLIOTHECA APOSTOLICA

VATICANA

BIBLIOTHECAE APOSTOLICAE

VATICANAE

CODICES MANUSCRIPTI RECENSITI

IUBENTE

LEONE XIII PONT. MAX.

PONTIFICATUS ANNO XVIII

CODICES URBINATES GRAECI

BIBLIOTHECAE VATICANAE

DESCRIPTI

PRAESIDE ALFONSO CARDINALI CAPECELATRO

ARCHIEPISCOPO CAPUANO

S. R. E. BIBLIOTHECARIO

RECENSUIT

COSIMUS STORNAJOLO

EIUSDEM BIBLIOTHECAE SCRIPTOR

ACCEDIT INDEX VETUS BIBLIOTHECAE URBINATIS NUNC PRIMUM EDITUS

ROMAE
EX TYPOGRAPHEO VATICANO
MDCCCXCV

PRAEFATIO

PRAEFATIO

Argumentum beneficiorum, quae Leo XIII assidue confert in litteras [1], typis vulgatur hic index librorum graecorum urbinatium, auspice clarissimo patre purpurato Alphonso Capecelatro Bibl. Vat. Praefecto. Facturus ne sim opus viris litteratis probatum, neque scio neque si scirem dicere auderem. Profecto non aucupandae famae desiderio, praeeunte Henrico Stevensonio seniore, qui a natura ad haec studia egregie factus visus est, qualecumque hoc opus concinnavi, sed uti eruditorum omnium commodo prospicerem, illud animo contemplatus: *nisi utile est quod facimus stulta est gloria.* Non tamen negabo quandam mihi stetisse spem futurum ut, si eruditi omnes ex hac elucubratione aliquos perciperent fructus, quotiens hos fontes nondum exhaustos ebiberent, totiens Pontificis studiorum omnium patroni nomen grato animo prosequerentur.

[1] Quam munificum se praestiterit hic Pontifex in bibl. vat. exposuit nuper Fabre in opere *La Bibliothèque Vaticane.* Paris Didot 1895, praesertim cap. IV *Le Pontificat de Léon XIII* p. 94 et seqq.

Bibliothecae Urbinatis historia ab aliis atque aliis hic illic adumbrata, a nemine tamen unquam pertractata fuit. Quare neque frustra neque abs re aliquis factum putabit si eam denuo retexere, collectis undique testimoniis, mihi proponam. Sic enim homines politiorum litterarum appetentes hic cuncta digestas invenient memorias, quae ad perfectam absolutamque librorum urbinatium cognitionem conferant.

I.

De Friderico duce Bibliothecae Urbinatis fundatore.

Pervolutanti italorum illustrium memorias, ex omnibus qui et honoribus rerum gestarum et praeclara ingenia provehendi gloria floruerunt, praestantissimus ille occurrit Montis Feretri comes atque Urbini dux Fridericus, qui Victorini feltrensis auditor et plurima mente percepit et rei militaris peritia inter aequales admirabilis extitit ac prope divinus est habitus. Hic Urbinum oppidum non magnum, aspero loco situm, moenibus sepsit, et celebres illas aedes exstruxit, quae adhuc omnium admirationem et laudem movent; urbem atque agrum publicis privatisque aedificiis ingenti sumptu ditavit [1].

[1] Giohanni de Santi, pater Raphaëlis, in carmine heroico, quod haud multum ante edidit Holtzinger (Stuttgart 1893) cap. 56, sic de incredibili aedificiorum copia canit:

Ben che al' animo suo era assai leve
Che in cento e trenta luoghi in un sol punto
Murar facea e in luochi alpestre e greve.

Eiusdem aula civibus quibusvis ingenio praestantibus patuit, ut non iam urbinatium Dux sed potius vir Italiae princeps esse videretur. Divitiarum copiam, praecipue bellorum manubiis partam, ad beneficium atque liberalitatem in lectissimos quosque contulit. Fovit autem non modo studia humanitatis, ut per ea tempora mos erat, et vitae cultum cum elegantia, sed etiam studia divina, numerorum et astrorum scientias; adeo ut nullam doctrinam ab eo fuisse posthabitam diceres. Idemque ea ratione coluit artes, ut formae et figurae omnes in eius regia venustatem quandam cum dignitate praeseferrent. Vir ad gloriam natus illico Urbini intelligentis iudicii veluti sedem constituit. Florentinae reipublicae moderatores aliosque principes Italiae dominos aemulatus [1], dignus visus est, qui novis artium formis italico Apelli picturae principatum pararet.

[1] Haec quae de Friderico eiusque in humana studia meritis breviter attigi fusius persequuntur tum scriptores sui aevi, quorum opera adhuc in bibliothecis iacent, tum libri, qui manibus hominum typis impressi teruntur. Si quis enim codices urbinates latinos pervolutet multos aut eius mandato exaratos, aut e graeco sermone translatos, aut denique eius nominis celebritati extollendae conscriptos inveniet. Ne longior sim dicam brevi; qui de meritis Friderici absolutum opus componere velit omnes illi prope codices urbinates esse evolvendos, praesertim codd. 273, 373, 365, 379, 490, 692, 718, 725, 728, 732, 740, 743, 938, 980, 1008, 1010, 1022, 1023, 1252, 1273. Nec non libros impressos: VESPASIANO (da Bisticci) *Vite* etc. ed. Frati Bologna 1892. CASTIGLIONE *Cortigiano annotato* etc. *da Vittorio Cian.* Firenze 1894. BALDI Bernardino *Vita e fatti di Federico* ecc. Roma 1824. MUTIO *Historia dei fatti di Federico* ecc. Venezia 1605. LANDINO *Quaestionum Camaldulensium libri IV* Florentiae. REPOSATI *Della Zecca di Gubbio* ecc. Bologna 1772. COLUCCI *Antichità Picene* Fermo 1794 Tom. XXI. DENNISTOUN *Memoirs of the Dukes of Urbino* London 1851. UGOLINI *Storia dei Conti e Duchi di Urbino* Firenze 1859. GUASTI *Giornale storico degli Archivi toscani*, vol. VI e VII. ARNOLD *Der herzogl. Palast v. Urbino* Leipzig 1857. SCHMARSOW A. *Melozzo da Forlì* Berlin 1886 p. 72.

II.

De Bibliothecae Urbinatis aula atque ornamentis.

Nulli profecto dubium est quin Fridericus neque militaribus gestis neque civili prudentia perennius quam extructa ampla aula et selectissimis libris ditata bibliotheca famam suam posteritati commendarit. Res enim humanae omnes caducitati obnoxiae fulciuntur tamen studiis scientiarum et artium, quae, thesaurum illum factorum inexhaustum, memoriam tuentur. En quomodo Baldius [1] describit Bibliothecae urbinatis aulam: « La stanza de-
« stinata a questi libri è alla mano sinistra di chi entra nel Pa-
« lazzo contigua al vestibolo, o andito, che dicemmo: la lunghezza
« sua è di qui quaranta piedi, o poco meno, la larghezza di di-
« ciotto incirca: le finestre ha volte a tramontana, le quali per
« essere alte dal pavimento, ed in testa della stanza, e volte a
« parte di cielo che non ha sole, fanno un certo lume rimesso,
« il quale pare col non distrarre la vista con la soverchia abbon-
« danza della luce, che inviti ed inciti coloro che v'entrano a
« studiare. La state è freschissima, l'inverno temperatamente calda.
« Le scanzie dei libri sono accostate alle mura e disposte con
« molto bell'ordine [2]. »

[1] *Memorie concernenti la città di Urbino* Roma 1724 p. 56.

[2] Octo erant haec armaria, unumquodque ex septem ordinibus. Cf. Raffaelli *La imparziale e veritiera istoria della unione della Biblioteca ducale di Urbino alla Vaticana di Roma.* Fermo 1877, p. 12.

Fridericus Veteranus, bibliothecae urbinatis custos, hoc super bibliothecae ostium carmen depingendum curavit:

SI CVPIS HIC POSITI QVONAM SINT ORDINE LIBRI
DISCERE, QVI TRANSIS, CARMINA PAVCA LEGE.
DEXTERA SACRORVM, IVRISQVE VOLVMINA SERVAT,
PHILOSOPHOS, PHYSICOS, NEC GEOMETER ABEST.
QVICQVID COSMOGRAPHI, QVICQVID SCRIPSERE POETAE,
HISTORICIQVE OMNES DAT TIBI LAEVA MANVS.

Aliud carmen appositum circum parietes Bibliothecae, ab eodem Veterano compositum, magnificis laudibus Bibliothecam extollebat:

SINT TIBI DIVITIAE; SINT AVREA VASA, TALENTA
PLVRIMA, SERVORVM TVRBAE GEMMAEQVE NITENTES,
SINT VESTES VARIAE, PRECIOSA MONILIA, TORQVES,
ID TOTVM HAEC LONGE SVPERAT PRAECLARA SVPELLEX.
SINT LICET AVRATI NIVEO DE MARMORE POSTES,
ET VARIIS PLACEANT PENETRALIA PICTA FIGVRIS,
SINT QVOQVE TROIANIS CIRCVMDATA MOENIA PANNIS,
ET MIRO FRAGRENT VIRIDARIA CVLTA DECORE:
EXTRA INTVSQVE DOMVS REGALI FVLGIDA LVXV,
RES EQVIDEM MVTAE. SED BIBLIOTHECA PARATA EST,
IVSSA LOQVI, FACVNDA NIMIS, VEL IVSSA TACERE,
ET PRODESSE POTENS ET DELECTARE LEGENTEM.
TEMPORA LAPSA DOCET, VENTVRAQVE PLVRIMA PANDIT,
EXPLICAT ET CVNCTOS CAELI TERRAEQVE LABORES.

Pergit Baldius describens cubiculum lectoribus paratum; iuvat ipsa eius verba referre: « Oltre la libreria vi è una cameretta « destinata allo studio nell' appartamento principale, d' intorno alla

« quale sono sedili di legno con gli appoggi ed una tavola nel « mezzo: lavorato il tutto diligentissimamente d'opera d'intarsi e « d'intagli. Dall'opera di legno, che così ricopre il pavimento come « la muraglia d'intorno all'altezza di un uomo o poco più, infino « alla soffitta [1], le facciate sono distinte in alcuni quadri, in cia- « scuno dei quali è ritratto qualche famoso scrittore antico o mo- « derno con breve elogietto, nel quale ristrettamente si compendia « la vita di ciascheduno di loro.

« Degli studi un altro ve n'è sotto questo nell'appartamento « inferiore, la metà più piccolo. Perciocchè dove lo spazio dello « studio di sopra tutto è libero, quello di sotto, che gli risponde, « è diviso nello studio di che parliamo, ed una cappelletta, di cui « parleremo poco dopo. Questo oltre gli scorniciamenti di legno « dorato, tarsia ed altri ornamenti è diviso in alcuni spazii, nei « quali per mezzo di Timoteo Viti, famoso pittore di quei tempi, « furono dipinti una Pallade con l'egida, un Apollo con la lira, e « le nove Muse ciascuna col suo proprio istrumento. »

III.

Quomodo codices urbinates comparati sint deque eorum ornamentis et ordine.

§ 1. — Vespasianus florentinus ex bibliopola humanitatis arte perpolito notissimus vitarum scriptor, ducis Friderici aequalis et familiaris, in vita Friderici Ducis, de bibliotheca urbinate multa refert nobis, etsi laudatorum more ducem suum nimium quantum

[1] Picturae, quae fornicem huius cubiculi ornabat, specimen praebuit ARNOLD l. c. tab. 10.

extollit. Testatur illum, splendidis aedibus iam anno 1463-1464 aedificatis, statim ad bibliothecam comparandam animum intendisse, libris raris et antiquis undique conquisitis, et per annos quattuordecim, triginta millibus argenteis insumptis, magnum codicum numerum collegisse, contemptis libris impressis, quos recepisse puduit. Iuvat hic duo testimonia nondum fortasse vulgata subnectere maxime rem illustrantia. Codex lat. urb. 1198 fol. 81 continet litteras Friderici ducis; inter alias quandam repperi Domino Francisco de Giohanbeccariis inscriptam, ex qua haec refero: « *Codices graecos, quos etiam misisti accepi et omnia tua essent in sempiternum gratissima. De his Octavianus meus ad te scribet latius.* » Quos autem codices habere non poterat, horum adhibitis scribis apographum sibi comparandum satagebat, tum interposito bibliopola Vespasiano, tum adhibitis librariis urbinatibus.

Quin etiam et ipse ad aliquod novum opus conscribendum litteratos viros interdum hortabatur, cuius rei extat testimonium in eius epistula ad Donatum Acciaiolium (Cod. laudato fol. 78 v.). « *Scripseram superioribus diebus ad Vespasianum Philippi ut si quem* « *doctum virum florentiae reperiret, qui in exponendis politicorum libris* « *operam adhibere vellet, verbis meis cohortaretur ad opus suscipien-* « *dum, cum id habere maxime cuperem.... rescripsit ille aptiorem in* « *hac re reperisse neminem nec lubentiorem profecto mei gratia* [1]. »

[1] Ugolini in op. c. v. I p. 459 asserit Fridericum linguae graecae operam dedisse magistris Angelo quodam et Demetrio graecis profugis et Lazaro Racanilli. In nullis scriptoribus aequalibus huius rei testimonium inveni, sed fortasse si studuit linguae graecae non multum in ea profecisse ex proposito testimonio demonstratur. In cod. urb. lat. 1193 fol. 120 v. extat epigramma graecum, quod Andronicus (Callistus?) composuit et Friderico in mortem uxoris Baptistae Sfortiae misit. Quare Friderici aetate non defuisse Urbini peritos linguae graece facile putatur.

Extant quoque complures codices qui non a Friderico empti sed ei a scriptoribus sui aevi in obsequium dono missi fuerunt.

§ 2. — Adlati extrinsecus autem libri vel Urbini transcripti non incompte et neglegenter compacti, sed ut refert Vespasianus et libri ipsi demonstrant, picturis tegumentisque erant ornati. Sic enim Vespasianus illa sua nativa iucunditate dicendi: « Ognuno « di questi codici faceva coprire di legatura di chermisi, fornita « d'ariento e tutti anche miniare elegantissimamente. » Verba tamen Vespasiani non ita intellegenda sunt ut omnes prorsus codices et integros exornandos picturis curaverit Fridericus. Inter codices enim graecos nonnisi quadraginta fere in foliis iisdem praefixis, aliqua pictura ornatos repperimus. Plerumque magnus circulus minio et aliis coloribus affabre pictus adiciebatur in foliis praeviis; in circulo autem peritus aliquis scriba indices in compendium inscribebat operum, quae codex contineret [1].

Circulos hosce plerumque corona ex quercu circumdat, et infra eos tessera gentilicia Friderici comitis aut ducis titulo exornata, prout codex ante vel post hos honores a Friderico obtentos in bibliothecam fuerant delati. Neque tamen haec tessera gentilicia eadem semper est, sed pro aetate et ornatibus et coloribus varia. Antiquiores, ut mihi videtur, tesserae gentiliciae Friderici, unam aquilam nigram aut ad summum tres praebent. Sed recentiores, quae post annum 1474, quo anno Fridericus a Sixto IV dux et vexillarius S. R. E. fuit renuntiatus, clavibus pontificiis, umbella et

[1] Aliquando in circulis nulla operum recensio inscripta repperitur, quia opus post mortem Friderici interceptum persequi successores neglexerunt. Ceterum ne singuli quidem Fridericiani codices huiusmodi titulis distinguntur.

vexillo exornantur. Quare ad minus quinque formas et figuras tesserarum gentilicias adhuc in codicibus urbinatibus inveni, quae ad aetatem, qua codices in urbinatem illati fuerint, plenius stabiliendam indicia suppeditant. Fit etiam aliquando ut codex nullis praeviis foliis muniatur, tunc tessera gentilicia in infimo margine folio primo apponitur.

Praeter tesseras autem gentilicias extant et alia symbola rerum gestarum Fridericiana, quibus ornantur codices, de quibus egit Franciscus Bianchini *Spiegazione delle scolture del palazzo di Urbino,* apud Baldi *Memorie concernenti la città di Urbino* p. 131.

De tegumentis, fibulis, angulis argenteis, quibus codices erant praediti, nulla hodie manent vestigia, praeterquam in graeco codice 80, qui tamen nonnisi tegumentum temporis edacitate corrosum exhibet. Codices graeci urb. reliqui omnes recenter tecti compactique fuerunt, praesertim Pio VI Pontifice et Cardinali Zelada Vaticanae Bibliothecae Praefecto. Ceterum si quis huiusmodi reconditiora circa codices sciendi cupiditate ducatur, consulat indicem veterem, quem uti appendicem ad hanc praefationem appono. In eo enim unusquisque codex una cum suo tegumento describitur. Parvulam glutinatorum librariorum officinam cum bibliotheca urbinate fuisse coniunctam ex hoc ipso indice vetere certiores facti sumus.

Quinam autem hos codices exornaverint diligenti pervestigatione scrutatus sum, sed in nullo codice subscriptionem aliquam lucem afferentem detegere mihi concessum fuit. Ex codice urb. lat. 1204 fol. 100 compertum habemus pictorem codicum fuisse magistrum quendam Franciscum ferrariensem: « *Maestri miniadori* « *dei libri: maestro franco da ferara con un garzone; maestro....* »

Ceterorum nomina praetermittit cubicularius domus fridericianae, qui illa scripsit. Sed Ioannes BRANDELEY in opere *A Dictionary of Miniaturist* etc. (London 1887-89 vol. III p. 340) nominat *Piero della Francesca et fra Carnevale*, qui postremus Urbini publico *illuminatoris* munere fungebatur.

§ 3. — Georgius VOIGT in opere inscripto *Humanismus* (vol. I p. 404) codices in bibl. urbinate eo ordine fuisse dispositos affirmat, quo in Bibl. florentina (S. Marci), iuxta nempe normam, quam huic constituerat Thomas Parentucelli (Nicolaus V); Biblia, Patres, Theologi medii aevi, Aristoteles una cum interpretibus, Plato, deinde scriptores Romanorum soluta oratione, postremo poetae. Sed praeter quam quod haec librorum dispositio iam ante Thomam Parentucelli invaluerat, in urbinate nostro non ad unguem servata est haec norma ut nullum augmentum vel mutationem introduxerint urbinatis bibliothecae praefecti. Hic enim ex indice vetere erat librorum ordo in urbinate: Biblia, patres et scriptores rei sacrae, Aristoteles cum Porphyrio, Plato et in eum Commentarii, Philosophi alii, Medici, etiam codices italice conscripti, Mathematici, Iuristae, Cosmographi, Historici, Poetae, Grammatici et reliqua. Deinde Graeci scriptores iuxta ordinem, quem nunc in vaticana bibliotheca obtinent, quemque, etsi non convenit saepe cum operibus recensitis, tamen propter venerandam antiquitatem retinendum putaverunt vaticani codicum descriptores. Postremum locum hebraici et arabici libri servabant.

Nolo tamen praetermittere rem, quae primum ex prolato a me indice vetere in vaticana delitescente innotuit. Nempe ducem Fridericum non unam vel non uno loco bibliothecam suam constituisse. In compluribus enim libris et latinis et graecis hanc no-

tulam appositam invenimus: *ex alia bibliotheca*, ἐξ ἄλλης βιβλιοθήκης. Quas duo bibliothecas in unam coactas fuisse mortuo Friderico verisimile est. Hae notulae autem praescriptae fuerunt codicibus ante direptionem bibliothecae urb. a Valentino duce factam. Nam ad multos codices appositae inveniuntur, qui a militibus valentinianis postea discerpti vel ablati fuerunt (an. 1502).

IV.

De Bibliothecae fridericianae custodibus et scriptoribus.

§ 1. — Custodes et scriptores bibliothecae feltrensis fuisse non paucos, neque infimae notae viros publicis memoriis monumentisque consignatum est. Sed quod mirum sane videtur, et plures et eiusdem ferme temporis *bibliothecarios* fridericianos invenimus, quasi honoris non officii causa hoc nomine praediti essent. Venit primo loco Fridericus Veteranus, qui non semel se *bibliothecarium* appellat, sed hoc nomine in multis codicibus se subscripsit. Si ab eiusdem manu, ut suspicor, appositae sunt notulae, quas in indice vetere urbinate invenimus, et si scriptoribus fides praestanda, subscriptionibusque ipsius Friderici, revera eum custodis bibliothecae officium adimplevisse putandum est. Hic enim per annos fere quadraginta tribus prioribus ducibus regnantibus, Friderico nempe, Guidubaldo et Francisco Maria I a Robore sedulam operam in custodis munere navavit.

Alia tamen testimonia aliis viris aequalibus hoc munus tribuere videntur. Laurentius enim Abstemius Maceratensis in epistula nuncupatoria, quam duci Guidubaldo I praemisit in opere *De*

quibusdam locis obscuris, ita de se loquitur: « Quum Urbini grammaticam docerem, praeessemque bibliothecae tuae, qua nullam in « toto terrarum orbe pulchriorem esse omnes uno ore testantur. » Ex aliis autem memoriis rerum urbinatum Pierantonius Collio *Bibliothecarius* Guidubaldianus vocitatur. Sed statim alius commemoratur *bibliothecarius* in codice urb. lat. 1248 qui continet: *Ordini et Offizi della corte del serenissimo sig. Duca d' Urbino.* Debetur autem libellus cuidam cubiculario, qui in aulis degit apud *Philippo M. Visconte tertio duca di Milano e Papa Pio Pontefice degnissimo.* Haec traduntur in capite, quod inscribitur: *Officio del bibbliothecario.* « El bibbliothecario vole esser docto, de bono aspecto, de bona « natura et bona et expedita lingua; el quale a scontro della guar- « darobba dé havere lo inventario di tucti li libri: et quelli te- « nere cum ordine et a lochi de possere retrovare ciò ch' l vole « in uno subito: cusì li latini como li greci o li hebrei o quale « altro ce fosse... comme fa el presente bibliothecario acorto et di- « ligente Messer Agabito ».

Nullibi invenire potui quis fuerit hic Agapitus, vetustatis assertoribus ignotus. Inter cancellarios tamen ducis Friderici Agapitus quidam recensetur, quem nescio an idem fuerit atque bibliothecae custos. Ceterum de his omnibus in describendis codicibus graecis versati sint nec ne penitus ignoro. Qui aliquam operam praestiterit et codices graecos inspexerit unus repperitur, qui Franciscus Lucensis audit, uti e compluribus subscriptionibus libris graecis appositis constat, idemque fortasse fuit ac ille graecae linguae peritus vir, qui uti notarium in codice pal. vat. 230 et in cod. CLXVIII in bibliotheca Coisliniana se subscripsit. Nisi unum esse malumus cum illo Francisco Lucensi presbytero et cantore

ecclesiae S. Marci, qui labente saeculo XV Venetiis typographicam exercebat artem, de quo LUCCHESINI in opere *Memorie e documenti per servire alla Storia del Ducato di Lucca* 1831 Tom. X p. 430.

Vespasianus affirmat fere quadraginta fuisse scribas, qui per annos quattuordecim pro Friderico suam impenderunt operam. Si fides huic scriptori omnino praestanda foret, immensa suppellex libraria ab his scribis parata esset; sed eius dicta res extenuant. Codices enim Fridericiani vix millenarium numerum excedebant, et eorum maior pars empta est interposito Vespasiano atque aliis. Codices graeci Urbini descripti paucissimi sunt; latini sunt numero maiores; sed demtis libris Friderico dono datis, et codicibus antiquioris notae, vix tertia eorum pars a scribis urbinatibus probabiliter exarata fuit.

§ 2. — Scriptores Bibl. Urbinatis publico munere in cod. urb. lat. 829 memorantur *Duro Cancilago, Fr. Matteo da Volterra, Fr. Federico Vagnino, M. Nicola da Genova.* Alium addo, ex indice vetere notum scriptorem Fridericianum *Federicum Galli* (cf. fol. 61). Sed si codices pervolutemus, plures occurrent et diversi a notis scribis fridericianis, qui pro re nata unum vel alterum codicem exscripserunt. Sed, maiorem codicum partem, uti supra dixi, Fridericus soluto pretio a librariis et a privatis viris sibi comparabat. De hac re, qui plura quaerat, consulat indicem scriptorum codicum graecorum, quem in extremo hoc libro inveniet.

Hoc demum commemorandum esse existimo Urbini officinam quandam condendis quoque codicibus graecis extitisse; quod ex eo erui posse videtur, quod in bibliothecae urbinatis indice vetere recensentur libri, qui adhuc in armario non ligati, quique vix

duobus vel tribus quaternionibus constabant; horum scilicet imperfectorum libellorum huic vel illi, proposito pretio, absolvendorum munus deferebatur.

V.

De primis indicibus.

Librorum suppellectile comparata, statim ad indices componendos eruditorum intendisse animos, ut par erat, facile quisque putabit. Fuerint multi an unus, qui ad hoc manus admoverit in obscuro adhuc res posita est. Illud profecto pro certo habendum Vespasianum notum bibliopolam, qui Urbini Friderico regnante fuit et bibliothecam inspexit, primam certi temporis memoriam codicum urbinatum nobis reliquisse: et iam tum Indicem urbinatis bibliothecae extitisse apparet (cf. p. XXIII *notam*). En eius verba de libris graecis: « Volle avere (Federigo) tutti i libri greci « che si trovavano, tutte le opere di Aristotele in greco; tutte « l'opere di Platone, libri tutti in cavretti bellissimi; tutte l'opere « d'Omero in uno volume l'iliade e l'odissea e la batracomiomachia, tutte l'opere di Sofocle, tutte l'opere di Pindaro, tutte « le opere di Menandro e così tutti i poeti, che si trovavano nella « lingua greca; tutte le vite di Plutarco in uno degnissimo volume, la cosmografia di Tolomeo colla pittura in greco, libro « excellentissimo; tutte le opere morali di Plutarco, libro degnissimo; tutte le opere di Erodoto di Pausania di Tucidide di Polibio e tutte l'opere di Demostene ed Eschine; Plotino filosofo, « tutte le opere sua, tutti i comenti che si trovavano presso dei

« Greci, come sono i comenti sopra Aristotele; tutte le opere di « Teofrasto, la fisica, de plantis; tutti i vocabolisti dei greci, il « greco con l'esposizione latina; tutte le opere d'Ippocrate e di « Galeno, tutte le opere di Senofonte, parte della Bibbia in greco; « tutte l'opere di Santo Basilio, tutte l'opere di Santo Giovanni « grisostomo, tutte le opere di santo Atanasio, di S. Giovanni da- « masceno, tutte le opere di santo Gregorio Nazianzeno, di Gre- « gorio Nisseno, di Origene, di Dionisio Areopagita, di Giovanni « Climaco, di S. Efrem monaco, di Enea sofista, le collazioni di « Giovanni Cassiano, il libro del paradiso, *vitae sanctorum patrum* « *ex Aegypto*. Vite di Barlaam e di Iosaphat, un saltero in tre « lingue ebreo, greco, latino, verso per verso, libro excellentissimo. « Tutti i libri di geometria di aritmetica di astronomia, che si « trovavano in quella lingua. Infiniti libri greci vi sono di varii « scrittori che dove ne poteva avere mandò per essi, volendo « che non vi mancasse nulla che si potesse trovare in lingua « ignuna. »

Vespasiani verba quanti aestimanda sint ex eo dignoscimus quod neque omnes, quos nominat, auctores urbinas bibl. possedit, neque omnia cuiusque scriptoris opera, uti patet ex indice vetere, quem tempus nobis non invidit [1]. Vix autem dicere attinet complura

[1] Quod Vespasianus exaggerando seu potius somniando suppellectilem urbinatem amplificarit ex his quoque verbis dignoscitur: « Una cosa singolare ha questa « libraria, che non si trova se non in questa, e questo è che tutti gli scrittori « così sacri come gentili, e così composti come tradotti, non vi manca una carta « sola dell'opere loro che non sia finita.... riscontrando poi i catalogi delle altre « librerie d'Italia con quello del duca vidi che tutti peccano in una cosa di avere « una medesima opera infinite volte, ma non aver di poi tutte l'opere di uno « scrittore finite come questa, nè v'erano scrittori in ogni facultà come in questa. »

vitia in hoc primo indice etsi perfunctorio offendere eruditum lectorem, ideo fortasse quod Vespasiano nulla data est commoditas perpendendi rem suam diligentia atque industria, quibus par erat.

Multo uberius et limatius descripsit hos codices Fridericus Veteranus, de quo infra aliquid adiungendum puto. Inventarium illius nomine inscriptum edidit Guastius, op. c., incertus an illi iure tributus esset. Sed nunc res in tuto ponitur ex quadam subscriptione, quam inveni in indice vetere fol. 79. *Uti est in inventario meo, Federicus* (*Veteranus*) *scripsit.* In hoc indice veteraniano, quem nescimus utrum tempore praecesserit index vetus, an illi successerit, quod magis probo, errata multa deprehendit MARTIN (*Le scolies du mss. d'Aristophane Bibl. des écoles franç. d'Athène et de Rome.* Paris 1882 p. VI et seqq.), et deprehendet lector quivis eruditus. Illud tamen norma aliqua probabili et ratione concinnatum fuisse ultro concedent omnes, praesertim habita ratione aetatis et hominis leviter docti.

Tertio loco pono indicem veterem neque aetate neque pondere neque amplitudine cum ceteris comparandum. Tantae enim gravitatis esse hunc indicem censui ut seorsum vulgare in appendice huius praefationis dignum esse duxerim. Ibi quaerat lector meam de hoc Inventario magis copiosam disputationem.

VI.

Fridericus Veteranus.

Inter scribas feretranos non infimum sibi vindicat locum Fridericus Veteranus, cuius inventarium bibliothecae urbinatis edidit

Caesar Guastius (*Giornale storico degli Archivi Toscani* vol. VI p. 130 seqq.) ubi, mea quidem sententia, plus laudis ei tribuit, quam par est.

Illum enim appellat virum doctum, ad labores impigrum et ab oblivione vindicandum. Non fuit quidem ille vir magno ingenio neque antiquarum litterarum peritia clarus, sed pro accurata librorum transcriptione et satis eleganti manu potius non spernendus librarius vocandus esse videtur, qui de se affirmat sexaginta volumina scripsisse in cod. urb. lat. 351 fol. 382... *Federicus Veteranus transcripsit. Et cum sexaginta volumina exaraverit, ultimum hoc fuit ob principis interitum cuius eterne dolendum est.* Et ibidem italice: « *Federigo Veterano fui che scripse / Questo et molti* « *altri cum iuxta mercede / usando diligenza amore e fede / al duca* « *Federigo insin ch' el vixe.* »

Alibi se *minio aurato* quamplurima volumina pinxisse gloriatur (cf. carmen Veterani apud Guasti p. 133). Sed nunc numero non plures quam undecim libri urbinates latini nomen Veterani subscriptum exhibent; arbitror eum in reliquis, quanquam illos exaravit, se non subscripsisse. Etenim tam multos libros a Veterano exscriptos interiisse cogitare difficile est.

Identidem diligentem librarium delectarunt Musae, praesertim graciles, quas ipse vocat, et Friderici Ducis studiosissimus eundem et vivum summa fide coluit et mortuum constantissime, quoad sibi mansit vita, laudibus luctuque prosequutus est [1]. Com-

[1] Multi sunt loci in quibus Veteranus Fridericum mortuum dolet: magnus ille, in quo verbis mollissimis queritur, (cod. 1193 f. ult.): *Divino principi Federico Feretrano Urbini Duci invictissimo Federicus Urbinas transcripsit. Sed heu! quam dolendum est, quod illo mortuo omnis spes, omne decus omneque refugium interierunt.*

posuit epigrammata duo in extructae bibliothecae aula depingenda, quae supra rettuli [1].

Speciminis gratia nonnulla alia epigrammata adducere libet, ut prospiciatur qua vena non sane divite in pangendis carminibus usus sit Veteranus. In codice urb. lat. 368 fol. 188 ita scriptum reperio: 1517 *Federicus Veteranus urbinas Bibliothecarius ad rei memoriam*:

NE CAREAT LACHRYMIS LIBER HIC POST FATA FERETRI
  HIC ME SVBSCRIPSI CVMQVE DOLORE GRAVI.
HVNC EGO IAMDVDVM FEDERICVS STANTE FERETRO
  TRANSCRIPSI: GRATVS VEL FVIT ILLE MIHI.
QVEM MODO VEL SEMPER FAS EST LVGERE PARENTEM
  ET DOMINVM, QVI ME NVTRIIT ATQVE DIV.
PAGINA TESTIS ERIT, LACRYMIS INTERLITA MVLTIS,
  HAEC TIBI, QVI MESTA HAEC CARMINA PAVCA LEGIS.
ET SI DISSIMILIS CONCLVSIT LITTERA LIBRVM,
  SCRIPTOREM IGNARVM ME DOLOR IPSE FACIT.

Alia epigrammata eiusdem generis quaere in codicibus urb. lat. 405 fol. 365 et cod. 736 fol. 10 seqq. et 1193, quae etsi non multa, singula tamen referre non praestat cum ad conciliandum illi famam et auctoritatem non valde inserviant. Quod ad rem meam magis attinet, satis habeo adnotasse illum ingenue in epigrammate cod. 736 fol. 10 v. fateri se non solum imperitum litterarum graecarum sed omnino rudem extitisse. En eius verba: « *Eiusdem* « *F. Veterani facetum Carmen cum inclyto puero Guidobaldo: fa-*

[1] GUASTI l. c. p. 132 haec addit de Veterano: *Oltre un poema epico de progenie domus Feretranae.* Nolim aliquis putet magnum quiddam edidisse Veteranum, qui vix sexaginta hexametris heroicum carmen expedivit.

« *tetur se ignarum litterarum graecarum et reliqua de corvo et psitaco* « *dominos salutantibus offerens se idem facere si nil aliud facere* « *sciat.* »

AD TE SI VENIET GRACILIS MEA MVSA LATINA
GRAEGA (sic) MIHIC (FATEOR) LITTERA NVLLA PATET,
QVALIACVMQVE TAMEN GREGO (sic) CVM RHETORE [1] PRINCEPS,
NE SPERNAS POSTHAC SI MELIORA DABO.
SVFFICIT VT CORVVM NVNC IMITEMVR OVANTEM,
QVI SCIVIT DOMINO DICERE SAEPE VALE....

Quo testimonio Veteranum describendis libris graecis aliquam dedisse operam e medio tolli facile est animadvertere. Quis autem illos descripserit mihi latissime pervestiganti reperire non licuit.

At Guidubaldo patrono neque benevolo neque largo usum esse Veteranum demonstratur ex eodem epigrammate, in quo post effusas laudes vir ceteroquin honestus, rei familiaris angustia pressus, et fortasse egens, quandam sportulam a Guidubaldo frustra implorat, cum hic ne stipendia quidem persolvebat:

MANCIA (sic) VVLGARES DICVNT NVLLIQVE NEGATVR
PRAECIPVE A DVCIBVS MAGNANIMISQVE VIRIS,
QVAE MERITO DANDA EST QVIBVS HIC STIPENDIA DANTVR
NVLLA, QVIBVS MISERA HIC TV, MEA MVSA, CARES.

Ad quod epigramma ipse Veteranus notulam apposuit: *sed de mancia nihic* (sic) *actum est.*

Fortasse ridebunt docti viri, quod in his reculis pertexendis immoror, sed maiore benevolentia haec accipient cum cogitent me

[1] Adludit ad Ludovicum Odasium patavinum praeceptorem ducis Guidubaldi (cf. BALDI l. c. aliosque rei urbinatis idoneos auctores).

huiusmodi rettulisse ut perspectas haberent lectores plenius, ut nunc mos est, res urbinates, quod ad aequius et intelligentius iudicium de Federico Veterano proferendum sterneret viam. Quid inde? Laudem ego omnem subripiam custodi fido pro egregia opera, quam diligenter bibliothecae urbinati navavit? Inventarium profecto codicum, etsi imperfectum ac brevius, scriptum reliquit, et nonnullas intimas bibliothecae urbinatis memorias, mea quidem sententia, in indice vetere apponens bene meruit.

Si autem in Inventario, quod eius nomine circumfertur, non semper errata vitavit, quae omnia tamen nescimus utrum illi an potius librariis tribuenda sint, non idcirco illi magnopere succensebunt lectores. Antiqui codicum descriptores, ut notum est, haud multa ad manus habebant subsidia litteraria, quibus nos abundamus. Profecto Veteranus quidquid virium habuit hoc totum circa libros latinos urbinates contulit.

VII.

De Bibliothecae Urbinatis incrementis et vicibus.

Maximam librorum urbinatium partem a Friderico I duce fuisse collectam ultro dant omnes, sed a vero prorsus aberraret qui bibliothecam urbinatem, uti eam habemus, temporis unius aut unius ducis opera constitutam esse censeret. Aliqua codicum accessio facta est per alios duces, praesertim per Guidubaldum et Franciscum Mariam, ultimum sed non infimum Urbinatium ducem.

Guidubaldus Friderici patris aemulator thesaurum urbinatem auxit tum variis libris, qui a multis ad eum missi erant, quique

munificum patrem mortuum laudibus prosequebantur, tum libris quos pro re nata acquirere sibi potuit. Indicem et inventarium codicum in bibliothecis paternis extantium denuo alacri cura egregiis viris redigendi munus detulit. Sed illud in maxima eius laude ponitur salvam tectamque voluisse bibliothecam in asperrimis impii et sacrilegi belli periculis. Veruntamen a furore et rapina praedonum, qui Valentinianum agmen efformabant, vix Bibliotheca erepta est, non sine magna iactura. Anno enim 1502 Valentiniano Urbinum invadente agmine Bibliotheca cum ceteris rebus direptioni tradita est. Hinc complures codices latini abstracti, compluresque detractis pretiosis tegumentis pessumdati fuerunt [1]. Graecos codices contutata est ignota lingua et non satis pretiosum tegumentum. Deinde librorum partem in arce foroliviensi occultatam Guidubaldus, mortuo Alexandro VI in ducatus possessionem restitutus, recuperandam curavit. Gloriosissimus Guidubaldo et faustissimus litteratis omnibus evenit ille dies, quo pretiosa suppellex in pristinam sedem urbinatem reducta fuit.

Parem gratiam habebunt eruditi viri Guidubaldi successori, Francisco Mariae I, qui etsi bibliothecae copias non auxerit, omnem tamen adhibuit curam, ut, cum ipsi Urbino exulandum fuit, integra bibliotheca servaretur restituereturque, quoad fieri potuit, integra in aulam urbinatem.

Certior fieri non potui, fuerit cordi nec ne Guidubaldo II avita Bibliotheca. Extat huiusmodi temporis index librorum urbinatium in cod. urb. lat. 1761, quique ad quendam Raynerium datur.

[1] Quot codices a Valentinianis quotque a *Palleschis* ablati fuerint in memoriis indicis veteris consignatum est, quem infra quaere.

Inventarium hoc non ante annum 1543 fuit exaratum [1]. In eo codices cum libris impressis commiscentur nulla habita distinctione graecorum latinorum et vulgarium, quia iuxta scriptorum nomina redactum fuit; tegumenta singulorum codicum recensentur. Ex eo in primis dignoscendum, quinam posterioribus ducibus codices debentur, quinam libri iam deperditi per ea tempora fuerant, cum vetere indice comparatione instituta.

Sed dux qui tota mente atque animo ad avitae bibliothecae incrementum incubuit, eiusque velut parens alter salutandus est, nomen audit Franciscus Maria II. Hic enim omni scientia et diligentia nixus est ut conservatis et ad unguem perductis veteribus scriptis novi et praestantes libri adiungerentur.

De hoc suo studio magna nobis suppetunt testimonia. Satis sit unum et alterum adferre. Petrus Devarius Corcyrensis litteris ad eum datis (ex *Tabulario publico Hetruriae florentino Cl. I. D. G. Filza CXXVIII*) certiorem facit exscripsisse pro eius bibliotheca septimum librum Pappi Alexandrini, atque ei exemplar mittit tractatus, quem avunculus Matthaeus composuerat *de graecae linguae particulis*, quemque ipse Romae ediderat a. 1588. Ceterum tota fere mathematicorum graecorum collectio huic duci debetur, scilicet hae scientiae eum nactae sunt largum patronum, et per eum urbinates Comandinius, Baldius, et Guidubaldius del Monte nova gloria patriam condecorarunt.

Ex litteris autem, quae in Tabulario Municipii urbinatis asservantur, anonymus in *Rivista Europea* (Ott. 1877 p. 82 seqq.)

[1] Ex eo infero, quod ibi fol. 128 v. recensetur: *Hieronymi Venturelli Forosemproniensis panegyricus ad Ducem Guidubaldum, quartum urbini ducem*, an. 1543, in serico caelesti.

epistulam protulit, ex qua intelleximus ducem Franciscum Mariam II per Iulium Giordani scripsisse ad Malatestam Malatesti, urbinatem legatum Romae residentem, eique significasse « di trovare in Roma per adesso alcune opere di' Aristotele e di Platone, che mancano nella biblioteca ducale, e caso non si trovino vedere se costì saranno scrittori atti a copiarle procurando « di sapere quanto pretenderiano per la mercede con distinguere « il carattere greco dal latino e la carta in foglio da quella in « quarto. »

Sed in transcribendorum codicum graecorum cura demandanda non omnem laudem tulit, quod non bonis librariis usus sit, uti Iosepho illo cretensi, cuius mendosissimos codices quaere in Indice meo. Unum codicem praeclarum picturis exquisitissimis dono obtinuit. Extat huiusmodi rei memoria in cod. gr. 149 folio praevio, ubi testimonium Praefecti Bibliothecae *Flaminii Catellani*, hominis ceteroquin ignoti. Isaacus Casaubonus a Francisco M. II duce commodatum habuit codicem Polybii atque ex eo historias edidit. Duae epistulae Casauboni extant in Tabulario florentino (Cl. I. D. G. Filza CCLIII, 208, 209) in quibus pro hac liberalitate gratias Francisco duci agit. Denique multae ibidem reperiuntur memoriae a duce ipso scriptae, quae de emptionibus et expensis pro libris (Tab. Flor. Cl. I. D. G. filza 106 a 148) pertractant [1].

Haec in universum dicta sint de meritis singulorum ducum erga bibliothecam urbinatem. Sed qui plura quaerat, adeat codices ipsos, qui effigiem aliquam aetatis et ducum prae se ferunt. Ne acta agere videar ab illis recensendis abstineo.

[1] Memorias ex tabulario florentino depromptas debeo claro viro Leoni Dorez, qui mei gratia chartas ibi asservatas inspexit.

VIII.

De aliis indicibus Urbinatis Bibliothecae priusquam Alexander VII in Vaticanam eam intulit.

Cum fama bibliothecae urbinatis longe lateque propagata est, nulla fere extitit studiorum sedes, quae eius thesauros ignorare passa sit. Quamobrem complures indices hodie urbinatium codicum inveniuntur in bibliothecis, quae praeteritis temporibus vel publico vel privato usui inservierunt. Omnes istiusmodi indices recensere longum est, neque ullius arbitror utilitatis. Nonnullorum tamen, quos mihi sedulo inquirenti reperire contigit, non inopportunam neque fastidiosam instituendam esse arbitror recensionem, utpote quae singulorum codicum urbinatium vicibus pertexendis nonnihil adiumenti praestare posse videatur.

Optabilius res cessisset si hos indices studiosi viri, in conspectu positis codicibus, concinnassent, sed haud ita negotium gestum est. Horum indicum consarcinatores omnia sua ab indicibus vetere aut veteraniano mutuarunt. Quare ex se se nullius ponderis aut auctoritatis esse aestimandos omnes facile iudicabunt. Huiusmodi generis videntur duo indices, quos in Tabulario Mutinensi invenit amicus Dorez, quorum alter inscr. *Index bibl. Illmi D. Guidi Ubaldi inclyti ducis urbini*, alter: *Exemplum librorum bibliothecae domini ducis urbini.*

Ad eandem familiam pertinere videtur index, quem in barberiniana cod. XXXIX 89 fol. 336 exaratum repperi. Huius scriptor aperte et candide profitetur post inscriptionem: « Singuli enim

« libri a me visi non sunt; et ideo indistincte et sine suo nu-
« mero positi prout ibi... », (ultimum verbum corroserunt blattae). Initium idem quod in veteraniano et indice vetere.

Rettulit mihi collega Stevensonius iunior vidisse se inter codices Boncompagni (cod. 105, 6 saec. XV) alium indicem codicum urbinatium, sed propter varios, quibus nunc haec bibliotheca obicitur, casus, rem sciscitandi facultas mihi eripitur. Nimirum haec omnia perscrutari et reperire nec pretium curae valeret.

Legi in codice quodam Burghesiano, qui una cum tota suppellectile historica, incredibili munificentia Leonis XIII, in bibliothecam et tabularium vaticanum invectus est, extitisse indicem aliquem codicum urbinatium etiam in hoc thesauro a Paulo V in primis congesto. Curiositate percitus post non paucos pervolutandi modos tenui laudatum libellum, qui inter decisiones sacrae Rotae delitescebat, sed de aliis atque aliis ibi expositi commentarii erant, nulla de bibliotheca urbinate deque eius antiquis libris vestigia.

Extat in cod. vat. lat. 3960 fol. 94 *Index Bibliothecae Illm̃i Ducis Urbini.* Sed et hic reliquorum vestigia persequitur. Hoc tamen sibi vindicat proprium, quod alterum geminum indicem per auctorum nomina redactum altera manus illi adscribere tentavit. Sed ab imperfecto inventario nullum bonum indicem elicere posset quamvis peritus codicum descriptor.

Lucas denique Holstenius, in itinere quodam, quod studiorum causa instituerat, per aliquot dies Urbini commoratus est; emunctae naris vir codices melioris notae evolvit et in memoriae adiumentum nonnulla notavit. Hos commentariolos bibliotheca barberiniana asservat inter scripta holsteniana (cod. XXXVIII p. 90). Suspicor eiusdem generis esse sexcenta alia, quae laudantur, inventaria urbi-

natia. Ad summum si pauca et nullius pensi sunt, quae de hac re testimonia veterum legendo consequi potui, hoc saltem ducent commodi, quod reliquorum levabunt labores, qui forte ad huiusmodi investigationem animum intendant suum.

IX.

Francisco Maria ultimo duce mortuo quae Bibliothecae Urbinati facta sit condicio. Alter index paratur a Vannio.

Hactenus saeculis superioribus pervenerant et ducum et eruditorum curae erga libros urbinates. Vetustatis autem investigatoribus compertum est ultimum ducem Franciscum Mariam extremam vitae partem in castro durantino seu Urbaniae transegisse, ibique tum pietatis innocentiaeque, tum optimarum artium studio omnibus exemplo fuisse. Quare non modo thesauro urbinati augendo ditandoque suam operam praestitit, sed etiam alteram bibliothecam librorum impressorum Urbaniae instituendam acriter perrexit. Exinde non una sed duae bibliothecae urbinates probe distinguendae sunt; quod ubique asservatum esse a scriptoribus, uti oportuit, non ego affirmaverim [1].

Anno 1628 Franciscus Maria, quo duce regnare desiit familia Urbinas a Robore vocitata, cum sibi finem vitae imminere praevideret, illud constabilivit, quod memoriam sui longe perpe-

[1] De testimoniis, quae hanc secundam bibliothecam respiciunt, quaeque in publico tabulario Romae asservantur (*Vol. 89 scan. 10-5* cum titulo: *Casa del SS. Crocefisso di Urbania*), iam egi in altera mea commentatione: *Le antiche descrizioni dei codici greci urbino-vaticani.* Roma Tipografia sociale 1893 p. 15.

tuam effecit. Testamento enim huius anni, sub diem 30 Ianuarii, bibliothecae urbinatis ipsam civitatem scripsit heredem. Porro consuluit ut omnia scripta et libri impressi, qui tamen lineamentis et figuris adumbrati essent, Urbaniae a se collecti, urbinati bibliothecae adiungerentur unumque cum codicibus corpus efformarent.

Reliquos vero libros impressos, qui nullis figuris aut lineamentis ornati essent, Urbaniae dono dabat, ea tamen mente ut clerici regulares SS. Crucifixi horum librorum susciperent curam. Denique reditus attribuit, quibus ambo hae duo bibliothecae seorsum publico iure lectorum usui et commodo inservirent. Quod si huiusmodi condicionibus aut civitas urbinatium aut civitas Urbaniana et clerici regulares minime obtemperassent, iure suo cederent, recideretque res omnis *Sodalitati cryptarum,* quae societas Urbini per ea tempora plurima pollebat auctoritate. Interim anno 1631 Franciscus Maria e vivis eripitur et urbinas ducatus iure supremi dominatus in Romani Pontificis recidit potestatem.

Huic aetati proximus est ille *Index* codicum urbinatium, qui nunc in bibliotheca, *nationali,* quam vocant, Romae asservatur (*Manoscritti gesuitici* n. 146). Non est autem hic index eiusdem generis, de quo ante egi, et speciem nobis exhibet formamque, ad quam bibliotheca urbinas per ea tempora pervenerat. Ob eam rem nonnihil seorsum de eo pertractare a me institutum est. Debetur Alexandro Vanni, fortasse ultimo bibliothecae urbinatis custodi et aetatem certam profert a. 1640. Codex chart. inscribitur: *Indice alfabetico della libraria manuscritta d'Urbino con quelli anche che trovai nelle Casse, riportati da me Alessandro Vanni Bibliotecario l'anno 1640.* Procedit per litteras seu elementa et scriptorum nomina, permixtis libris graecis, latinis, hebraicis et syriacis. Spatia inter varia ele-

menta interposita sunt ad futuras accessiones. Recensentur etiam librorum impressorum scriptores, qui ex testamento ultimi ducis in bibliothecam urbinatem illati fuerant. Praemittitur notula: *Avvertendosi che dove si chiama la Cassa vecchia notata così* (c. v.) *s' intende la prima all' ingresso a mano manca.* Incipit autem hic index post nonnullas memorias et sententias a Vannio ipso praemissas: *Acta apostolorum Graec. m. s. in pergameno in 8 legato in cuoio rosso ma uso, nella prima scansia pr. ordine nu. 11.* Deinde codex: *Anassauri episcopi Almoneorum liber collectionum siriaco in 8, legato in cuoio rosso nella pr. scansia pr. ordine n. 25.* Desinit folio 93: *Trebellius Pollio de vitis Imperatorum, Vedi Elio Lampridio scans. 6 ord. 4, n. 13.* Denique adduntur aliae memoriae ab eodem Vannio scriptae, postea calami ductu deletae. Ceterum ex multis lituris et emendationibus non ad unguem perductum indicem diceres. Nihilominus, nisi timor a proposito longius aberrandi me prohiberet, heic in appendice Vannii indicem subnecterem, propterea quod tanti ponderis sit ut cum vetere indice consociari videatur; interim monitum voluisse lectorem satis habeo.

X.

Urbinas Bibliotheca iubente Alexandro VII in Vaticanam infertur.

Quomodo autem, e vivis sublato ultimo duce, heredes partes suas gesserint diu multumque quaesivi, atque haec pluribus persequi possem, sed brevitatis gratia omittenda puto. Illud tamen ratus sum, quod non praetermitti necesse est, neque civitatem urbina-

tem neque clericos SS. Crucifixi stetisse condicionibus, quibus satisfactum iri dux testamento suo statuerat. Hinc publica causa, cui ille potissimum intenderat, prodita est, et studiosorum commodo aegre atque inconstanter satisfactum. Adducunt heredes expensarum gravitatem, quibus non satis prospiciebant reditus a Francisco Maria testamento suo adsignati. Magna ergo litium et contentionum exagitatio inter Sodalitatem cryptarum et civitatem urbinatem, atque inter Urbaniam et clericos minores de condicionibus testamenti tandiu neglectis; quod apud finitimas civitates multum infamiae dedecorisque heredibus contraxit. Ad summum eo deducta res est ut civitas urbinatium aere alieno pro sustentanda lite gravaretur et ad id cogeretur, quod pro publico commodo facere renuerat.

Ob eam rem cum Christina Svecorum Regina per ea tempora Urbini diversata esset, de venditanda et emenda bibliotheca urbinate verba facta sunt; duodecim millia argentea, aiunt, ab ea fuisse proposita. Sed postmodum nihil proinde actum, utrum volubilitate foeminae clarissimae, an exiguitate pecuniae nescio. Interea gravior instituebatur litis actio in civitatem urbinatem a Sodalitate cryptarum: tum Pontificis Legatus Aloysius Homodei bibliothecae urbinatis in vaticanam inferendae auctor fuit. Sic enim prudenti consilio concertationum pericula et discordiarum civilium caussae amovebantur.

Quare hic de negotio gerendo apud Pontificem Alexandrum VII epistulam dedit ad Lucam Holstenium, tunc meritissimum bibliothecae vaticanae custodem maiorem. Hunc non semel sed iterum iterumque cum summo pontifice egisse de proposito difficili negotio perhibetur. Movit Pontificem, arbitror, oratoris auctoritas et studiosorum commoditas. Itaque promulgata est haec eius epistula:

Dilecto filio nostro Aloysio tituli sancti Alexii S. R. E. Presbytero Cardinali Homodeo nuncupato nostro, et apostolicae Sedis in Civitate, et Ducatu Urbinaten. de latere Legato [1].

ALEXANDER PAPA VII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

§ 1. — Innotuit Nobis, quod dudum bon. mem. Franciscus Maria postremus dum vixit Urbini Dux in suo ultimo, sub cuius dispositione ab humanis decessit Testamento, dilectis filiis Communitati, et hominibus Civitatis Urbinaten. Bibliothecam librorum manuscriptorum, quam ibidem habeat, nec non graphides seu delineationes in Bibliotheca Castri Durantis existentes legavit, et campum, quem ab illis de Gallis emerat, in dicta Civitate positum, aliaque praedia illi contigua, seu vicina, quae possidebat, eisdem Communitati et hominibus reliquit, ad hoc, ut ipsi ex praediorum huiusmodi fructibus provisionem Deputato, qui curam dictae Bibliothecae legatae haberet, praestarent, ac insuper expresse prohibuit, ne eadem Bibliotheca a loco, ubi tunc erat usquam amoveretur vel auferretur, neque vel unico volumine diminueretur; et in casum contraventionis ipsam Bibliothecam Confraternitati Sanctissimi Crucifixi de Crypta nuncupatae Urbinaten. applicavit, et cessit, quodque postea cum dicta Bibliotheca processu temporis ex eo, quod Communitas, et homines praedicti, quibus ex praediis praedictis nihil fere fru-

[1] *Bullarium* Romae 1761 Tom. VI part. IV p. 187.

ctuum provenit, illam tuendi modo destituti fuerant, deterior valde facta reperiebatur, memorata Confraternitas locum substitutionis ad sui favorem esse praetendens die 4 Aprilis proxime praeteriti, seu alio veriori tempore litem coram dilecto pariter filio Praetore, seu Potestate Urbinaten. contra dictos Communitatem, et homines intentavit, protestationemque emisit ex supposito quod iidem Communitas et homines de venditione Bibliothecae, et graphidum, seu delineationum praedictarum, aut illarum partis tractassent. Quinimo die 27 eiusdem mensis instituit pro electione virorum, qui libros dictae bibliothecae legatae cum illorum inventario committerent, et forsan ad alios iudiciales vel extraiudiciales actus processit. Quapropter Nos ne Bibliotheca praedicta in loco, ubi nunc malum in statum redacta, et magna ex parte a blatis rosa reperitur, successu temporis, attento, quod memorati Communitas et homines illam instaurari, et tueri prae inopia non valeant, sensim absumatur, sed ut reparetur, et memoria praestantissimorum, et clarissimorum toga, et sago ex familia Roborea Principum Urbini Ducum, qui magis labore, et industria libros et scripturas Bibliothecae huiusmodi collegerunt, ut par est, conservetur, simul etiam, ut mentem et voluntatem memorati Francisci Mariae Ducis, quem perpetuae conservationi et decori dictae Bibliothecae studuisse, sicque de praemissis cogitasset opportunum desuper remedium adhibiturum fuisse verisimile est, supleamus, eandem Bibliothecam in tutiori, celebriorique loco in Bibliotheca similiter nostra Vaticana reponendam esse decrevimus. Ac huius rei Communitatem, et homines praedictos fecimus certiores, qui publico generalis eorum consilii decreto professi sunt, se voluntati nostrae huiusmodi prompto obsequio morem gerere paratos esse. Itaque Testamenti, Decreti

praedictorum tenores etiam veriores, nec non litis, seu causae huiusmodi statum, et merita, nominaque, et cognomina Iudicum et collitigantium, et alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, motu proprio ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine harum serie circumspectioni tuae iniungimus, ut litem, et causam praedictam in statu, et terminis in quibus ad praesens reperitur, seu quando praesens executioni demandandis reperietur a praedicto Praetore, seu Potestate, et aliis quibusvis Iudicibus ad te auctoritate nostra apostolica avoces, illamque perpetuo supprimas, et extinguas, ac utrique parti perpetuum desuper silentium eadem auctoritate imponas.

§ 2. — Praeterea Bibliothecam librorum manuscriptorum, ac graphides, seu delineationes dictae Communitati, et hominibus, a memorato Francisco Maria Duce sicut praemittitur, Legatos, ad Almam Urbem nostram sumptibus Camerae nostrae Apostolicae quantocitius fieri poterit conduci cures, et libri huiusmodi in Bibliotheca nostra Vaticana in loco separato, et conspicuo cum ornamentis congruis, et insignibus gentilitiis familiae Roboreae collocentur, ibique ad perpetuam nominis, et gloriae eiusdem familiae conservationem, retento Bibliothecae Ducum Urbini vocabulo perpetuis futuris temporibus custodiantur.

§ 3. — Demum aedificium seu locum in quo Bibliotheca, ac graphides, seu delineationes nunc in praedicta civitate collocatae sunt, nec non Campum, et praedia supradicta de caetero in dominio, et potestate memoratorum Communitatis et hominum absque ullo onere remanere debere, perinde ac si dictae Bibliothecae et graphides, seu delineationes ibidem iuxta dicti Francisci Mariae

ducis voluntatem ab ipsis Communitate, et hominibus perpetuo conservarentur, dicta auctoritate decernas, et declares. Nos enim quamcumque necessariam et opportunam in praemissis facultatem tibi motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus tribuimus, et impertimur....

(Pergit decretum irritans, quod omitto, quia nihil ad rem nostram).

§ 6. — Ceterum eisdem Communitati et hominibus nomine nostro significabis, Nos quo ipsos ingenti, ut accepimus, aeris alieni mole obrutos paterna charitate sublevemus, summam decem millium scutorum monetae in extinctionem tot locorum montium quibus dicta civitas Urbini onerata reperitur convertendum eis praestari mandaturos, prout in Chirographo nostro desuper expediendo declarabitur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 7 Augusti 1657. Pont. nostri Anno III. —

Affirmat Aloysius Homodei Pontificis Urbinas legatus cum illic res nuntiata est non valde civium animos fuisse commotos, immo a bonis omnibus probatam litis diremptionem. Quare cum in publico consilio Municipii Urbinatis de omni negotio actum est, argumentis hinc inde prolatis, et mature rebus perpensis suffragiisque rite peractis, maiori parti visum est prudenti Pontificis auctoritati obtemperare [1].

[1] (Cf. Valenti *Trasferimento della Bibl. Ducale d'Urbino a Roma.* Urbino 1878).

Mandatum asportandi libros urbinates in Bibliothecam Vaticanam eidem Holstenio datum est expertissimo viro ac prudentissimo, qui apud pontificem causam oraverat. Brevi et egregie peractam rem fuisse ex veterum disquisitionibus apparet; illatis autem in Vaticanam feretranis libris Holstenius una cum Vannio quodam, forte ultimo Urbinatis Bibliothecae praefecto, indicem contexuit, de quo fusius infra.

Inscriptio marmori incisa superposita est in aula Bibliothecae Vaticanae, ubi codices urbinates asservantur, quae sic se habet:

ALEXANDER VII P. M.
ANTIQVA OMNIS GENERIS OMNIVMQVE LINGVARVM
VRBINATIS BIBLIOTHECAE MANVSCRIPTA VOLVMINA
REPENSO CEDENTIBVS BENEFICIO
AD TVTIOREM CVSTODIAM ATQVE PERPETVITATEM ADIVNXIT AN. SAL. MDCLVIII

Holstenium de acto negotio ad Pontificem rettulisse putaverim, sed moleste sane tuli nullibi huiusmodi vestigia me detegere potuisse [1].

De Pontificis Decreto deque iure inferendi bibliothecam urbinatem in Vaticanam apud rerum scriptores multa ultro citroque agitata sunt. Longam disceptationem et minime perspicuam retexere hic non vacat. Satis ad propositum existimo illam referre sententiam, quam *Raffaelli*, iudex neutrius partis studiosus edixit:

[1] Memoria manu ipsius Holstenii reperta est inter scripta Compagnoni, in qua ita codices urbinates recensebantur: *Hebraici et Arabici* 58. *Manoscritti greci* 148. *Autori antichi latini manoscritti* 371. *Latini moderni* 326. *Volgari quasi tutti recentiori* 61. *Graeci stampati* 27. *Latini stampati* 82. *Totale N.* 1073. Libri autem et scripta ultimi ducis XII capsis continebantur. (Raffaelli l. c. p. 12).

l. c. p. 17: « Dal fin qui detto e riportato evidentemente si addi-« mostra, che nè il Card. Legato Luigi Homodei con proporre « all'Olstenio il trasferimento della Biblioteca Urbinate alla Va-« ticana, nè l'Olstenio col sollecitarlo presso Alessandro VII, nè « Alessandro VII coll'emanare il suo *motu-proprio*, con il quale di-« chiarava una tale unione commisero, come dicono l'Ugolini ed il « Marcolini, *opera ladra:* ma vi furono portati soltanto dalla non « curanza con cui quella famosa biblioteca era mantenuta in Ur-« bino, dal temuto sperpero, che di essa potevasi fare, e dalla « prudenza di troncare un dispendioso litigio tra la Confraternita « del SS. Crocifisso della Grotta e la Communità di Urbino, ridotta « questa in misera condizione finanziaria. A ciò debbesi aggiun-« gere l'acconsentimento del Consiglio, e della più eletta parte degli « Urbinati, che con il ricambio dato alla Communità *absque ullo* « *onere* dei locali, ove trovavasi collocata la Biblioteca; dei terreni « assegnati dal Duca Francesco M. II per la provisione dei de-« putati, i quali sopraintendessero alla custodia di essa, e con il « dono di diecimila scudi, si vedevano largamente compensati e « sollevati dai debiti [1]. »

[1] Holstenius codicum graecorum et hebraeorum maius pretium fecit decem argenteos, minus octo: latinorum, sex maius, quinque minus. Totius Bibliothecae maius pretium argenteos septem mille et quadringentos.

Non levem neque iniustam hanc fuisse codicum aestimationem a Luca Holstenio prolatam ex multis exemplis dignoscitur. Nam si de uno codice nulla est certa norma, cum de bibliotheca aut magno librorum numero agitur illum morem invaluisse perhibent non plus quam triginta libellas unicuique codici pretium fuisse attributum. In bibliotheca Barberiniana (cod. XXXIX, 107 f. 8-17) extat cuiusdam periti rerum huiusmodi responsio ad Philippum Hispaniarum regem, qui pro Excorialensi bibliotheca emere cupiebat codices a Sirleto collectos. *Estimatione et prezzo delli libri Greci della libraria del Card. Sirleto che*

Ad summum maiori studiosorum commodo et bibliothecae servandae desiderio sic opportune consultum est.

XI.

De indicibus qui Urbinate in Vaticanam immissa bibliotheca confecti sunt.

Ubi primum libros feltrenses in hanc antiquam et celebrem pontificiam bibliothecam immittendos curavit Alexander VII, incredibile dictu est quot viri politioribus artibus instructi ad illos describendos et pervestigandos accesserint. Ipse Holstenius hos codices recensuisse videtur, utrum Urbini adhuc extantes an Romam asportatos, non satis constat.

Profecto habemus nudum indicem, quem una cum Vannio Holstenius confecit in cod. vat. lat. 9475. Constat schedulis partim litteris impressis, partim scriptis, nullo discrimine interposito co-

dimanda sua Maestà: Ma la tassa generale fatta da Librari, stimando l'un libro per l'altro di tutta la bibliotheca greca li mettono da cinque in sei scudi l'uno, et non più, perchè se bene ce sono libri di valore, sono molti altri che non vagliono due giulij, et per questo non si deve fare stima di libro per libro. (Cf. DOREZ *Recherches et Documents sur la Bibl. du Card. Sirleto* in *Mélanges d'Archéologie* etc. 1891 p. 466).

Aliquot post annis (1611) Ioannes Angelus Altemps Dux emit hanc ipsam bibliothecam, quae circa quattuor mille codicibus constabat, solvens tredecim mille argenteos. Progressu temporis non pluris sed minoris venditi sunt codices. Nam post saeculum fere pro comparanda eadem bibliotheca, quae ad Petrum Ottoboni (Alexandrum VIII) devenerat, non plus quam quinque mille et quingenti argentei insumpti sunt. (Cf. COZZA-LUZI *De Ottoboniano-vaticanis graecis codicibus commentatio*. Romae 1893 p. XX et p. XLVIII).

dicum, cuiuscumque linguae sunt. Sic e. g. prima schedula: *Evangelia graeca 8 Scanz. I, Ord. I, N. 10 Cassa I N. 10.* Ordine duplici nempe descripti sunt libri, quo ex Urbinate fuerant asportati, et quo in Vaticana fuerant collocati, ut mihi quidem videtur. Paravisse et simul glutinasse has schedulas Holstenium et Vannium habes ex folio 15 v. ubi haec notula manu Holstenii: *Nota il Sig. Vanni essere l'istesso della sc. I, ord. 7 n. 25, onde in questo luogo non è tal libro;* et ex folio 22, in quo haec: *Rimesso sopra al suo logo sc. 6 ord. 6 n. 16 da me L. Holst.*

Sed postea urbinates codices in Vaticana aliis numeris signati, seu potius tunc primum numeris singuli libri distincti sunt; non enim in Urbinate aliquo numero significabantur, quod iam apud alias bibliothecas in more positum fuerat.

Certissimum autem est plusquam sexcentos alios codices latinos e scriptis libellis ultimi ducis compactos antiquis urbinatibus fuisse accensitos, non statim sed posterioribus temporibus. Cum autem permixti atque inserti sunt posteriores cum anterioribus urbinatibus codicibus, tum novi numeri singulis adpositi sunt. Ad graecos codices pauci profecto fuerunt adiuncti, sine dubio tres ultimi; quare hi primam numerationem, quam in Vaticana invenerunt, constantius retinuerunt.

Interim moderatores bibliothecae vaticanae hos codices describendi munus non neglexerunt. Mos apud nostrates iam inde invaluerat duplici modo conficiendi indices, alter qui describeret singulos codices et opera quae continerent, servato ordine foliorum et loco, quodque proprius inventarium vocares, alter qui per omnes codices nomina auctorum dispersa per elementa litterarum in unum collecta recenseret, quosque indices rectius appellant.

Latinorum cod. urb. cura conficiendi inventarium demandata fuit Stephano Gradio (an. 1662-1683); apparet ex cod. urb. lat. 1388. In eo expenduntur codices 1361, ad quem numerum iam excrevisse libros, qui urbinates audiunt, putandum est. Nescio cur hic numerus codicum urbinatium non comprobetur in inspectione, quam de iisdem confecit post annum 1683 Zacagnius, apud quem adhuc codices urbinates recensentur n. 1070. Paulo post latinorum codicum inventarium largius retexuit incertus scriptor, duobusque voluminibus comprehendit. Tertium volumen deinceps ab alio incerto adiectum est, cum codices urbinates ad numerum 1671; quartum denique cum ad numerum 1767 pervenerunt. Non multum tempus ante ex his inventariis indicem excerpsit canonicus Zappelli.

Sed qui fuerit descriptor vaticanus codicum graecorum urbinatium incompertum adhuc manet. Pro certo qui primus ex nostris critica disciplina imbutus pervolutarit codices urb. graecos venit Allatius. Non tamen hic ad integrum inventarium intendit, sed studii causa nonnullos codices pervestigavit, nonnullosque indiculos illis in foliis praeviis adglutinandos curavit. Allatianas investigationes persecutus est Zacagnius et nonnulla ex his codicibus edidit. Post Zacagnium puto confectum esse ab anonymo illud inventarium graecorum codicum cum indice, quod adhuc inter indices bibliothecae vaticanae communi usui traditur. Sed nulli iam doctorum virorum desiderio satisfacit, quippe quod illis careat ornamentis, quae in huiusmodi operibus hodie requiruntur.

Proditum etiam memoriae legi eruditissimum virum Garampium recensuisse et ipsum codices graecos urbinates; pro tanti viri praestantia, maxima eius scripta, quae in tabulario vaticano asservantur, diligenter pervolutanda suscepi, sed frustra. Inveni

tamen in cod. vat. lat. 9287 brevissimam codicum urbinatium latinorum recensionem per illum confectam, sed praeter scriptorum aliquot nomina et opera nihil aliud traditur. Spectat ad investigationes, quas praestantissimus ille vir pro amico Mazzucchellio suscipiebat.

Hisce de causis communi eruditorum desiderio adhuc non obtemperatum erat: quare moderatores bibliothecae vaticanae constantissime expostularunt ut aliquis maiore doctrina atque eruditione perpolitus et non minore diligentia praeditus longum et fastidii plenum opus sibi assumeret. Tentavit nescio quis, medio fere saeculo superiore, sed vix ad cod. XIX perrexit, destitit illico ab incepto, non nota causa. Successit ei alter si non diligentior saltem peritior linguae graecae, et ad finem fere perduxit inventarium sine indice.

Sed huiusmodi opus non animo aequo spectari posse rati moderatores bibliothecae contemptui habuerunt; quin etiam Leonardus Adami Volsiniensis, scriptor bibliothecae vaticanae usque ad annum 1820, in altera quaque columna huius inventarii duas commentatiunculas adiecit: *De cultu erga SS. Martyres in Coemeteriis* cum praefatione, quam praemittere meditabatur alteri editioni *Diarii sacri*, a pio patre Mazzolari editi.

Nostro saeculo Hieronymus Amati graecus scholiasta in Vaticana usque ad annum 1832, cui linguae graecae peritissimo proponebat Burghesius quaestionem de inscriptione quadam ephesina, nonnullos graecos libros urbinates studii causa inspexit, et ut iam Allatius, ipse quoque nonnullis codicibus indiculos praepo-

[1] *Oeuvres* Paris VI p. 196, cf. 194.

suit. Sed ne numeris quidem omnibus absolutos hos indiculos fuisse ille recte perspiciet, qui inventarium meum perlegerit.

Angelus Maius denique pervolutavit et ipse omnes codices urbinates graecos sicut fere ceteros omnes vaticanos studii causa, et raras animadversiones de suo aliquando in illis adscripsit.

XII.

De Henrico Stevensonio seniore meritissimo descriptore codicum graecorum urbinatium.

Cum tot fuerint egregii viri acri ingenio praediti, quattuor tamen saeculorum et amplius spatio nullus repertus est, qui in describendis libris graecis urbinatibus omni laude cumulatus extiterit, sive quod haec ars reconditas res et multiplicem varietatem subtilemque pervestigationem persequitur, sive quod opera huiusmodi apud homines, qui tunc fuerunt, non eo quo apud nostros aequales honore sint habita. Hanc insuper exerceant oportet artem homines non solum in perlegendis veterum librariorum scripturis exercitati, sed qui suarum rerum obliti et ab omni famae desiderio remoti aliorum commoda tueantur.

Tandem omnium iudicio probatus extitit Henricus Stevensonius senior, bibl. vat. graecus scholiasta ab anno 1879 ad 1890, quem pro morum suavitate ac sanctitate mortuum omnes defleverunt. Etsi eius memoria apud posteros mea commendatione non indiget, iure tamen et sponte hanc ei laudem tribuendam existimo, utpote qui apud nostrates auctor fuerit edendi illa opportuna studiorum subsidia, quae in aperiendis litterarum fontibus

versantur. Natus est Camberwelii prope Londinum domo nobili atque opulenta. Patrem habuit Guillelmum, matrem Ioannam Maddok. Pueritiam partim Parisiis, partim alibi transegit, et iam ab ineunte aetate maxime ad eruditionis studia natus aptusque visus est. Litterarum studia persecutus est in collegio Oratoriano genevensi. Annos natus viginti ad Erlangensem studiorum Academiam in Bavaria se contulit; heic audivit insignem illum antiquarum litterarum doctorem Döderlein. Anno 1841 laurea donatus Berolinum perrexit elegantioris doctrinae desiderio, ibique annum commoratus et doctrina et familiaritate usus est virorum clarissimorum Boeckh, Lachmann, Zumpt, Bekker, Franz, Richter, Neander. Rediit postea Genevam et in Oratoriano lyceo philosophiam et litteras graecas latinasque docuit, deinceps alibi uti Rolle (Vaud), in gymnasio Hesseniano (Cassel) rectore Weber, in collegio Henchoz. Nam pater quanquam ditissimus, omni eum stipe privaverat, detectis in iuvene opinionibus sibi in rebus fidei adversantibus.

Itaque an. 1853 mortuo patre certior factus est se paene exeredatum fuisse. Quam iacturam bonorum firmo animo toleravit et exiguo stipendio contentus ad spem liberalioris fortunae animum induxit suum. Hinc opitulante divino numine se anglicanorum opinionibus abdicavit et ecclesiae catholicae nomen dedit, cui in posterum et vires et studia omnia sua sacra esse voluit. Deinde se in Italiam contulit et sacro fonte lustratus XX kal. Februari, Marlioz in (Sabaudia) praesente episcopo Annesino. Hac occasione epistolam ad fratrem maiorem natu dedit, cui aperte quid tunc sentiret manifestavit, tantaque ratione ac suavitate animi et in suos caritate ut omnium animos ad pietatem impelleret. Magnus impulsor ad hanc animi mutationem ei extitit tunc sacerdos

postea pater purpuratus Gasparus Mermillod, qui denique huic alumno suo dulcissimo extrema pietatis officia Romae in funere praestitit.

Scripsit pro ephemeride *Annales Catholiques* genevenses, et Pisis diversatus familiaritatem iniit cum egregiis viris Michaele et Chrysostomo Ferrucci; quare horum gratia vitam Rosae Ferrucci sanctissimae feminae ex italico in gallicum sermonem vertit. Anno 1861 amissa dulcissima uxore magis magisque se in litterarum studia abdidit. Anno 1865 domicilio Romae constituto benevolentiam sibi conciliavit viri illius clarissimi I. Pitra, qui pater purpuratus postea bibliothecae vaticanae praefectus fuit. Quum igitur eruditissimus vir ad se habuisset Stevensonium et amice cum eo fuisset collocutus, plagulas ei ostendit imprimendas operis sui *Historia iuris publici graecorum*, hac mente ut si quae essent quae emendatione egerent, ea emendanda curaret. Emendavit doctus vir ille plagulas et restituit tam multis notulis et castigationibus refertas ut clarissimus pater purpuratus admiratione percitus submisse fassus sit adiutorem se nullum peritiorem invenire potuisse.

Hinc factum est ut quibusvis operibus deinceps ab eminentissimo viro editis nunquam non laudetur amicus Stevensonius, utpote qui *sui oblitus aliorum opera liberali studio adiuverit.* (Cf. Pitra *Analecta sacra* Tom. I praef.).

Interea in ephemeride, cui titulus *Revue des questions historiques*, in interpretanda ratione metrica in hymnis liturgicis graecorum, aliam viam ingressus est, quam tutatus erat Christ, peritissimus in huiusmodi disciplinis. Itaque patres purpurati praepositi revisendis atque evulgandis libris liturgicis graecorum nulli potissimum hanc

provinciam demandatam voluerunt quam docto Stevensonio. Et libri quibus nomen *Horologion, Pentecostarion, Apostolos, Triodion* et *Menaei*, eius curis rursus iuxta meliores codices atque editiones in lucem prodierunt. Unde sic PITRA: *Nimium laudari nequit vir egregius H. Stevensonius, qui inter primos hymnographicos libros novis et limatis typis sedulo committendos immani labore curavit.* Quod magnum opus eius morte adhuc intermissum iacet.

Bibliothecae vaticanae scriptor graecus renuntiatus edidit anno 1885 *codices palatinos graecos* et 1888 *codices graecos Reginae Svecorum et Pii pp. II.* Eodem anno autem, quinquagesimo a sacerdotio summi Pontificis Leonis XIII, edidit primum volumen scholiorum in hymnos liturgicos graecorum, quod continet: *Theodori Prodromi Commentarios in Carmina sacra Melodorum* COSMAE *Hierosolymitani* et IOANNIS *Damasceni.*

Inter alia opera autem, quae indefessus vir longinquitate gravissimi morbi afflictus parabat, recensenda est descriptio codicum urbinatium graecorum, a quo opere perficiendo et vulgando prohibitus est morte, quam anno 1890 Romae obiit aetatis septuagesimo secundo.

XIII.

De meo Inventario.

Haec sunt quae de codicibus graecis urbino-vaticanis acturus praemonenda duxi; alia proferet qui codices latinos describendi onus sibi suscipiet. Quae omnia si cum illa immensa memoriarum segete coniungantur, quae ex ipsorum codicum inspectione erui

possunt, profecto non pauca neque pauci momenti esse omnes libenter consentient.

Quamvis autem de se quisque difficillime iudicium proferat, dicam tamen de meo opere non ut meum studium diligentiamve commendem, sed uti viris doctis de mei instituti ratione quaedam quasi monita tradam. Stevensonianam descriptionem codicum non semel sed iterum perlegi, non solum quia ob multas lituras illico sensum ex eius scriptis expromere non facile fuit, sed etiam ut eius morem modumque in describendis codicibus omnino investigarem. Egregius enim vir ille prius exscribere verba prout in codice erant, non solutis compendiis, neque declaratis librariorum notis, posterius ex hac longa et prima investigatione inventarium probabile depromere solitus erat. Ad primum codices describendi modum pervenerat cum morbo afflictus ad incepto desistere coactus est.

Quare cum eius scripta mihi tradita sunt, denuo mihi comparanda fuerunt ut prospicerem num ea convenirent cum codicibus recensitis et postea ex iisdem scriptis probabile inventarium eruerem. Hinc multa mihi expungenda, perficienda, revisenda, contrahenda, demum ex integro investiganda fuerunt, ut illam opem praestarem Stevensonii scriptis, quam ipse doctus vir fuisset praestiturus.

In hac autem descriptione codicum peragenda sensim liberior, et ut ita dicam audacior factus sum; quapropter nonnulla de meo adiungere et paene totam immutare codices describendi rationem non dubitavi. Omnes perspicere poterunt non me ad amussim persequutum esse pro codicibus urbinatibus rationem adhuc praefinitam pro aliis indicibus vat., ut ne vestigium quidem ab illo tra-

mite deflecterim. Uti enim in alicuius antiquae tabulae artificio imitando, etsi plures eandem exprimendam suscipiunt, tamen suam unusquisque habet artem, ita in conficiendis indicibus illa ratio et norma a doctissimis viris pro bibl. vat. proposita suam cuiusque scriptoris accipiunt formam.

Itaque praeter notas de aetate codicum, de possessoribus, de scribis, praeter et auctorum et operum criticam recensionem, haec de meo adieci. Omnia folia quae in codicibus inveni disturbata sede vagantia ad suum quaeque numerum reducenda curavi. In quibus operibus aliqua deficerent initio vel fine non satis habui hoc generatim indigitare, sed fines etiam praesignavi et capitum et verborum, quae iuxta edita deessent. In initiis operum significandis si abundantius, saltem non obscure rem digessisse videor. Inscriptiones et argumenta plerumque graece transcripsi, quo magis codicum indoles elucesceret; auctorum autem nomina, quae in operibus deessent, ut plurimum potui latine adieci.

Notis non paucis et grammaticis et bibliographicis, quas vocant, rem totam instruxi. Qui codices iam fuissent inspecti atque excussi criticorum industria, quique non adhuc, suo loco quantum potui frequenter significavi: hoc studiosis viris novum emolumentum futurum fuisse ratus. Si quae inedita praeberet codex tecte significare, quam alto silentio praeterire malui, omnibus meis investigationibus ad hoc institutis cum lectore amice communicatis. Fortasse quiddam redundans et ad propositum non necessarium reprehendet aliquis in hoc inventario. Sed cum huiusmodi opera non modo eruditissimorum manibus terantur, sed excutiantur etiam a viris, qui in hisce studiis mediocriter sint versati, angusta illa et concisa atque eruditione illigata describendi codices ratio,

quae apud quosdam invaluit, a me posthabita fuit. Atque hoc potissimum spectavi ne quis mea non dilucida rem significandi ratione deceptus in errorem aut dubitationem induceretur. Edidi quae scivi et potui, utinam non multa neque magni ponderis sint in quibus aliquid offenderim.

Restat ut gratos animi sensus expromam excelso viro Iosepho Cozza-Luzi bibliothecae vaticanae Pro-Praefecto, qui ea qua pollet celeritate ingenii inter multa, quae quotidie edit, etiam his plagulis emendandis vacavit. Non minorem gratiam habebo clarissimo viro Professori Aeneae Piccolomini, qui ea qua excellit doctrina atque humanitate, emendationibus, novis lectionibus, coniecturis feliciter propositis in hoc opere perficiendo maximo mihi adiumento fuit.

INVENTARIVM VETVS

Praestantissimum hoc testimonium de bibliotheca urbinate ideo subiciendum censui, quod in eo veluti in speculo conspicimus illius thesauri effigiem et formam. Nullus index neque pressius neque clarius hos codices adhuc Urbini extantes recensere cunctos sategit. Hic nullis animadversionibus indigeret, quum clarissime res exponat, codices tamen graecos nonnullis observationibus instruxi, quas de meo addere non abs re visum est [1].

Deinde habebit eruditus lector numeros graecorum codicum, quibus ego eos instruxi, nullo enim numero in bibliotheca urbinate signati erant codices, comparatos cum numeris, quibus in bibliotheca vaticana hodie indigitantur. Sic enim sine ullo labore codicum graecorum urbinatium vices uno obtutu conspicere fas omnibus erit; et ad omnem pervestigationem et doctrinam ianua patebit.

[1] Optandum fuit ut etiam codices latinos notulis instruerem et novos numeros cum antiquis compararem, quo facilius studiosi viri recognoscere eos possent. Sed non meum visum est hoc etiam praestare, qui codices tantum graecos describendos mihi assumpsi; aliis ergo non difficile munus relinquo.

Cod. Urb. lat. 1671 chart. in folio saeculi XV exeuntis, foliorum 145 [1] duabus constat partibus seu indicibus, alter vetustior et plenior a fol. 1 ad 128, alter recentior et brevior a fol. 129 ad finem. De ambobus iam locutus sum supra.

Sed nunc de antiquiore disquisitio instituenda est accuratior. Hic index, qui in fronte habet a manu posteriore inscriptionem « *indice vecchio* », idem est index seu potius Inventarium bibliothecae urbinatis, quod mortuo Friderico duce paratum fuit. In folio enim 83v. haec reperio scripta a prima manu: « *Georgii Benigni, ordinis minorum, opusculum quod Fridericus inscribitur: de Anima regni principe, ad' optimae indolis maximaeque spei puerum Dñum Guidum Ubaldum comitem Feltrium: nunc Illm̃. Urbinatium Ducem, ornatissimus codex in Rubro* ».

Non ante ergo quam Guidubaldus patri Friderico successit hic index concinnatus est. Sed a Vespasiano nobis innotuit Urbinatis bibliothecae iam extitisse indicem quendam, vivo adhuc Friderico. Quare exinde colligendum arbitror Indicis veteris, quem nunc typis trado vulgandum, posteriorem quidem recensionem ad nos pervenisse, sed in ea clara vestigia detegere mihi videor primi et antiquissimi indicis, de quo Vespasianus mentionem iniecit.

Quamobrem incertus adhuc maneo utrum unum vel plures auctores huius indicis salutem; certe extant additamenta nonnulla atque emendationes a manu posteriore, quam Veterani esse putarim, qui insuper aliquas, si non omnes notulas codicibus apposuit. Hoc unum affirmare

[1] Codex est compactus tegumento ex corio viridi cum tesseris gentiliciis Innocentii XII et Card. Brancati de Lauria bibl. vat. praefecti (sc. an. 1692-1693). Habet extra n. 1050, exinde infertur anno, quo hic codex ligatus est, nondum codices urbinates latinos ad numerum 1767 excrevisse, quem nunc pertingunt.

licet huius inventarii scriptorem linguam graecam affectasse, libenter enim verbis et signis ex hac lingua petitis utitur. Ea de causa a scriptis Veterani, graecarum litterarum prorsus rudis, illud abiudico.

Alter qui se celat litteris compendiariis, quibus clauditur hoc inventarium fol. 128 v., (*vidit f. p.*), opus revisit. Scriptura non eiusdem est temporis et manus, et magnis spatiis interpositis inscribitur unusquisque codex, ut futuris accessionibus locus detur.

Quaerat in eo eruditus lector et abditas memorias codicum, eorumque vices: ego nunquam mirari desino illud nescio quid austerum in eo et distinctum, et concisam brevitatem et auctorum et operum expositionem satis ad propositum opportunam et, quod maius est, acerrimam illam in rebus indigitandis normam aequalem, quae in operibus huiusmodi maxima perfectio atque absolutio iudicatur.

Sequitur, non diffiteor, et hic index formam illam describendi obsoletam, quippe auctorum et operum praecipuarum nomina exhibet ceteris neglectis, quare neque plenam neque eruditam codicum notionem praesefert. Insunt et in eo errores aetati condonandi; attamen cum iis, quae revelat, pro iis, quae non bene perspexit eius descriptor, par nobis rettulit munus.

INDICE VECCHIO

1. - Prima pars Bibliae pulcherrima atque ornatissima a Genesi usque ad psalterium cum historiis in principiis librorum depictis *Aureo serico cooperta: et Cornibus et seraturis argenteis ornata.*

2. - Bibliae pars secunda simili modo ornata a Iob usque ad finem novi testamenti.

3. - Biblia litteris Gallicis scripta: in qua utrumque testamentum integrum Continetur. In Rubro.

4. - Biblia in parvo volumine pulcherrima litteris gallicis minutis quidem... In [?] *viridi serico* operta et Clausa argento.

5. - Bibliae Concordantiae. In *Corio rubro.*

6. - Testamentum novum ex Graecanica veritate Traductum a Ianotio Manetto. In Serico Rubro argento munitum.

Monitum. Hoc inventarium edendum curavi uti scriptum inveni, una cum suis, quibus, scatet, mendis, quo lucidius eius indoles et forma innotesceret. Notulas autem a variis manibus et vario tempore codicibus appositas litteris minutioribus inter uncinos inclusi. Verbis, si quae essent dubiae lectionis, interrogationis signa adieci.

7. - Ioachini abbatis concordantiae novi et veteris testamenti. De praescientia divina. De praedestinatione divina. Auctoritates quorundam Doctorum. In *Rubro*.

8. - Levitici liber Glossatus litteris vetustis. In *Rubro*.

9. - Breviarium litteris longobardis scriptum. In *serico viridi*. [In margine]: *Non redit ex Mantua cum aliis*, [sed postea haec verba sunt calami ductibus deleta].

10. - Psalterium in tribus linguis Latina videlicet Graeca et hebraea. In *corio viridi*.

11. - Psalterium de hebraica veritate in latinum traductum a Ianotio Manetto et Alfonso Aragonum Regi. dic. In Rubro. Eiusdem Apologeticum In suae novae Traductionis obtrectatores ausos [?] De hōis excellentia et Dig[nitate]. De Terraemotu. Dialogus de morte [filii]. Apologia Nu[nnii equitis hispani].

12. - Psalterium postilatum. In *Rubro*.

13. - Psalterium cum Glossa ordinaria magistri Sententiarum. In *Rubro*.

14. - Evangelia quatuor Evangelistarum cum Figuris eorundem, opus ornatissimum *In serico aureo*, munitum Argento. a hieronymo Traductum.

15. - Actus Apostolorum cum glossis ordinariis magistri sententiarum. Item epistolae Canonicae. Apocalipsis Ioannis eodem modo glossata. *In rubro*.

16. - Pauli Epistolae glossatae secundum magistrum sententiarum opus opertum *serico viridi* et munitum Cornibus et seraturis Argenteis.

17. - Pauli epistolae opertae *serico aureo* et munitae Cornibus et seraturis argenteis. (*Excerptus a Valentinianis*).

18. - Pauli Epistolae vetustae glossatae: et Coopertae *purpureo Corio*.

19. - Breviarium Secundum Consuetudinem Romanae Curiae. Codex magnus ornatissimus In *rubro*. (*Non est in ordine propter magnitudinem sed in mensa quadam*).

20. - Expositiones omnium evangeliorum lingua Gallica cum picturis. In *rubro*. (ἐξ ἄλλης βιβλιοθήκης. *Parabolae Salomonis sunt hoc loco licet inferius fuerint positae in Libro ho.*).

21. - Hieronymi expositio in psalterium opus munitum argento in *serico rubro*.

22. - Hieronymi Epistolae numero CLVIIII. Pars prima. In *rubro*.

23. - Hieronymi epistolarum pars secunda numero LVI In *rubro*.

24. - Hieronymi expositio In Isaiam prophetam In *rubro*.

25. - Hieronymi expositio In Ezechielem et Danielem prophetas. *In viridi*.

26. - Hieronymi expositio in duodecim prophetas. In Oseam. Iohelem. Amos. Abdiam. Ionam. Micheam. Naun. Abachuch. Sophoniam. Aggeum. Zachariam. Malachiam. *In viridi*.

27. - Hieronymus de locis ex Genesi. Hebraeis: de Nominibus hebraeis de Quaestionibus Hebraicis de Mansionibus Israelitici populi: In Ecclesiastem: In Marcum. In Matthaeum. In epistolam pauli ad Titum. In epistolam pauli ad Philemonem. Hieronymi traductio ex Didymo de spiritu sancto. *In viridi*.

28. - Hieronymi expositio in Hieremiam prophetam. In Lamentationes eiusdem prophetae. - Severi Epistolae ad Desiderium monachum de vita s̄cti Martini et ad alios. Eiusdem dialogi de vita eiusdem sancti Martini. *In rubro*.

29. - Hieronymi martylogium. Passio Beatorum petri et pauli a Marcello discipulo edita, qui eidem praesens fuit passioni. Usuardi sive bedae Martylogium. *In rubro*.

30. - Hieronymi traductio ex Eusebio de temporibus. Hieronymus de temporibus. Prosper de Temporibus. Marcellini Chronicae de Floratio. Matthaeus palmerius de Temporibus. Hieronymus de viris Illustribus. Gennadius Massiliensis epūs de viris Illustribus. Isidorus hispalensis Archiepūs de viris Illustribus. Dialfonsus toletanus archiepiscopus de viris Illustribus. Isidorus hispalensis Archiepūs de ortu: vita: et obitu sanctorum p̄rum. Bedae venerabilis praesbyteri Chronicae. *In Rubro.*

31. - Hieronimus de vita Sancti pauli primi heremitae. Sancti Hylarionis Monachi et heremitae. Captivi Monachi. Paulae Beatae. Augustini Doctoris sancti vita a possidonio edita. Athanasii Beati vita per Ioannem Tortellium Conversa e graeco in latinum et Eugenio IIII summo pontifici dicata. Gregorii Nazanzeni vita ab Ambrosio Monacho Camaldulense e Graeco traducta ad Iulianum Cardinalem S. Angeli. Ioannis Chrysostomi vita ab eodem Ambr. Conversa e Graeco in latinum et Eugenio IIII summo pontifici dicata.

Basilii Episcopi vita edita ab Amphylochio praesule Niconiense. et Conversa ĩn latinum ab Urso presbytero. Ambrosii episcopi mediolanensis vita a paulino edita. Sancti Nicolai Vita a Leonardo Iustiniano edita. Sanctae Eugeniae virginis et sanctorum Martyrum proti et Hiacynthi eiusdem eunuchorum passio et vita ab Ambrosio Monacho Camaldulense Conversa ut fertur. *In viridi.*

32. - Hieronymi expositio (ἤ *τomuσ*) In Epistolam pauli Apostoli ad Galatas. Eiusdem Τομυσ in ep̄lam Pauli Apostoli ad Ephesios. In *viridi.* (θωμός *acervus*).

33. - Hieronymus de vita Sanctorum patrum heremitarum. Sancti pauli primi heremitae. Beati Antonii patris Solitariorum et anachoritarum vita ab Sc̄to Athanasio ep̄o edita. Beati Hylarionis vita a Hieronymo edita. Malchi vita edita a Hieronymo et aliorum multorum. *In rubro.*

34. - Hieronymi Transitus per eusebium. In *Croceo.*

35. - Ambrosii archiepiscopi Mediolanensis Epistolae. De virginibus vel virginitate ad Marcellinam. De Fuga Saeculi. De paradiso. De Isaac: et animae na-

tura. De bono mortis. De Iacob et vita Beata. De Sapientissimo Salomone. Hexameron. i. sex dierum. De Chain et Abel. De officiis. Super psalmum Beati Immaculati. *In Rubro.*

36. - Ambrosii expositio in XII psalmos. De Mysteriis et Sacramentis. De Benedictionibus patriarcharum. Apologia David patris nr̄i. De vinea Nabuthae. De utilitate Ieiunii. De Corruptione Virginis et Corruptore: et Lapsu virginis. De sancto Ioseph. De Abraam. De viduis. De In Carnatione Domini. Pastoralis sancti Ambrosii. De Arca Noe. De morte Satyri Fr̄is. De Beatae Mariae virginitate perpetua. Ambrosij Sermones et primus de Dominica prima adventus. De Ramis palmarum. De Resurrectione Domini. De Nativitate Sancti Georgij. De Rogationibus. i. sermo in die rogationum. In Nativitate Apostolorum petri et pauli. In Natali Sancti Laurentij. In Natali Martyrum. In Natali Confessorum. In Natali Sanctae Agnetis. Passio S. Agnetis et Vita. Ambrosii epistola ad vercellensem ecclesiam. Sermo de sexagesima. Ambrosii Homilia super Evangelium Matthaei. Homo erat pr̄ familias. Homilia super evangelium Assumpsit Iesus. Sermo Super Illud: ecce viri portantes in lectulo hominem qui erat paraliticus. Homilia Super Evangelium: Nemo pōt. De passione Cervasii et protasij. De Vita Sanctorum Vitalis et Agricolae. Ambrosij Vita edita a paulino ep̄o. *In viridi.* (ὁμιλία *Colloquium*).

37. - Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis Super Lucam. Super Cantica Canticorum. De poenitentia. Ambrosius in ep̄lam pauli ad Romanos. cap. XLI. De Fide et Spiritu Sancto ad Gratianum Imperatorem. De vocatione omnium Gentium, quod opus dicitur prosperi. In *purpureo.*

38. - Ambrosij archiepiscopi mediolanensis Sermones. Idem In Cantica Canticorum. Eiusdem Epistola de Consolatione Valentiniani Imperatoris. Idem ad Theodosium Imperatorem de Morte Valentiniani cum multis aliis epistolis. In Rubro.

39. - Augustinus Hipponensis episcopus de Trinitate. Super Genesim. Confessionum libri XIII. De natura et gratia. Codex ornatissimus coopertus *serico rubro* cum cornibus et Seraturis Argenteis.

40. - Augustinus de Civitate dei opertus *serico rubro* Cum seraturis ex argentato aere.

41. - Augustinus de Civitate Dei opertus *Corio Rubro.*

42. - Augustinus Hipponensis Epūs super L[ta] psalmos David. a primo psalmo usque ad Miserere mei Deus. *In Rubro.*

43. - Augustinus Hipponensis Epūs super Reliquos L[ta] Psalmos a LI.° qui est quid Gloriaris in Malitia: usque ad Centesimum. qui est misericordiam et iudicium. *In Rubro.*

44. - Augustinus Hipponensis Epūs Super Vltimos L[ta] psalmos Incipiens a Centesimo primo qui est Exaudi Domine orōem meam usque ad Centesimum et quinquagesimum qui est. Laudate Dominum in Sanctis eius. Augustinus de Cathechizandis rudibus. De natura boni adversus Manicheos. De octo quaestionibus ex veteri Testamento. De utilitate Credendi. De Gratia novi Testamenti ad Honoratum. *In purpureo.* (κατεθίζω ἀπὸ τοῦ κατα (sic) καὶ ἐθίζω).

45. - Augustini Epi. Hippon. Ep̄lae nūo. CCII. In quibus omnes quaestiones Fidei sunt solutae. In *Corio azurro.*

46. - Augustini Ep̄i Hipponensis et Doctoris ecclīae disertissimi atque sanctissimi Sermones nuo CCLXXX. *In rubro.*

47. - Augustini doctoris ecclīae sanctmi Homiliae nūo L.[ta] De Sermone Domini In Monte. Super epistolam Ioannis. De vita christiana ad Sororem suam. De Trinitate ad petrum, seu de fide. De Consensu Trium evangelistarum: Matthaei: Lucae: et Ioannis. In *Rubro.*

48. - Augustinus Epūs Hippon. Contra Faustum Manicheum. Item Contra Iulianum pelagianistam. *In viridi.*

49. - Augustinus Epūs Hippon.: De quaestionibus Evangeliorum. De vera Inocentia. Augustini disputatio de unitate Trinitatis Cum Foeliciano. Expo-

sitio Sex quaestionum Contra paganos. Augustinus de Gra christi et peccato originali Contra Pelagium: et Thelestium. Augustini liber qui dicitur Acta Fortunati. De Bono Coniugali. Augustinus Contra quinque hereses. De Sancta virginitate. De Divinatione Daemonum. Contra pelagianos. De praedestinatione Divina. De praedestinatione Sanctorum. De quaestionibus Orosii. De Continentia. De verbis Apostoli. Sermones Augustini XXIIII. *In Rubro.*

50. - Augustinus Contra Academicos. Augustini retractatio in Librum de ordine. Augustini Sermo ad Iuvenes. Augustini Dialogus ad Filium de trinitate. Retractatio in librum de vera religione. Retractatio in Libros III de libero Arbitrio. Retractatio in Librum Soliloquiorum. Retractatio in librum de Immortalitate animae. Retractatio de Magistro. Augustinus de unico Baptismate. Augustini retractatio in librum de Adulterinis Coniugiis. Retractatio In librum de Correctione et gratia. Augustinus de Heresibus. De quantitate et qualitate animae. In *Rubro.*

51. - Augustini expositio In Ioannem Evangelistam Sermones LX[ta] In Rubro.

52. - Augustini Locutiones In libros Geneseos. Locutiones In Lib. exodi. Locutiones Levitici. Locutiones Numeri. Locutiones Deuteronomij. Locutiones libri Iosue. Augustini Locutiones de libro Iudicum. Augustini quaestiones In suprascriptos libros. Arrianorum Sermo. Augustinus contra Arrianorum Sermonem. Augustini diversae quaestiones numero LXXXV. Augustini Enchiridion. Ornatissimus Codex *In Rubro.*

53. - Augustinus de Consensu quattuor Evangelistarum. Augustini Musica. Epistola ad Memorium Episcopum. Augustinus de libero Arbitrio et Gratia. De Duabus Animis contra Manicheos. De poenitentia. De praesentia Dei ad Dardanum. Augustini Commentum in epistolam Pauli ad Galatas. In Epistolam Pauli ad Romanos. Augustinus de Mendacio. Adversus Adimantum Manicheum. Gesta habita Cum Fortunato presbytero Manicheorum. De Symbolo Fidei. De Genesi ad litteram imperfectum. Augustini Exhortationes ad quendam Comitem eidem Charissimum. *In viridi.*

54. - Augustini Episcopi Hippon. retractatio de Doctrina christiana. Tractatus de Fide. De Baptismate Contra Donatistas. Acta Fortunati. Arrianorum

Sermo de eorum fide seu perfidia. Contra Sermonem Arrianorum seu eorum perfidiam. Augustini Disputatio habita cum Foeliciano ad Optatum de unitate trinitatis. Augustinus de sex quaestionibus Contra paganos. De Gratia christi contra Pelagianos. De peccato Originali. In *rubro.*

55. - Augustinus de octo quaestionibus ad Dulcitium. De Incarnatione Verbi ad Ianuarium. De essentia divinitatis Dei: De Invisibilitate atque Incommutabilitate dei. De Oratione. De Fide Sanctae Trinitatis. De Fide rerum invisibilium. De patientia. De Singularitate Clericorum. De Confessione Fidei. De Visitatione Infirmorum. De Decem plagis et X^{m} praeceptis legis. De lapsu Mundi. Sermones XXIIII. De Gestis Pelagii contra adversarios Gratiae christi. Concilium Carthaginis contra pelagium. Innocentii papae Epistola. Concilium Miletanum. Innocentii Epistola ad Provinciae Numidiae Episcopos adversus Pelagium. De Baptismate Parvulorum ad Marcellinum. De Conflictu vitiorum et virtutum. De Spiritu et anima. De Beato Latrone. Augustini Annotationes In Iob. *In Rubro.*

56. - Augustini Retractationes. Dialogi Ad Orosium. De Inferis ad Eubodium Episcopum. Augustini Logica (*Sine dialectica*). De Cura pro mortuis agenda ad paulinum. Supputationes de Divinis Scripturis.

57. - Augustini Doctoris Ecclesiae doctissimi atque Sanctissimi Milleloquiorum pars prima excerpta A Fratre Bartholomeo Urbinate Ordinis Fratrum heremitarum Clementi Summo pontifici dicata. *In Croceo.*

58. - Augustini De Civitate Dei. Lactantii Firmiani. Francisci Petrarcae de Remediis u. Fortunae. Valerii Maximi. Boetii de Consolatione. Salomonis Moralium. Augustini de Civi. Dei per alium. [In margine] Indices sive tabulae per Alphabetum. *In Rubro*

59. - Gregorii Papae Sanctissimi atque Beatissimi Moralia ad Cleandrum. Codex ornatissimus coopertus *Serico Rubro* et Cornibus et Seraturis Argenteis.

60. - Gregorii Papae Homiliae In Ezechielem prophetam. Homiliae in Evangelia. Gregorii pastoralis. *In Viridi.*

61. - Gregorii Papae Symbolum. Gregorii Registrum Cum Epistolis suis. In *viridi.*

62. - Gregorii Dialogi. In *purpureo.*

63. - Gregorii dialogi Iterum. In *Rubro.*

64. - Gregorii Papae homiliae in Ezechielem prophetam ad Marinianum Coepiscopum nūo xxij. *In purpureo.*

65. - Gregorii papae Flores Moralium Iob. *In Rubro.*

66. - Tertullianus Carthaginensis de Carne Christi. De Carnis resurrectione. De Corona Militis. Ad Martyres. De poenitentia. De virginibus velandis. De habitu muliebri. De Cultu foeminarum. Ad uxorem. De persecutione. Ad Scapulam. Tertulliani exhortatio ad Charitatem. Tertullianus de Monogamia. De pallio. De patientia Dei. Adversus praxeam. Adversus Valentinianos. Adversus Marcionem. Adversus Iudaeos. Adversus haereses omnes. De praescriptionibus Haereticorum. Adversus Hermogenem. Apologeticus Tertulliani de Ignorantia in christo Iesu. Tertullianus de phantasmate Magicae et Daemonijs. *In viridi.* (*Inferius ubi est hoc signum* ℥. *s. post Lactantium*).

67. - Cypriani Episcopi Carthaginensis (*post Lactantii opera*). Epistolae inter quas insunt hae. De Martiali et Basilide. De observatione Disciplinae. De his qui in lecto gratiam Consequuntur. De histrione. De virginibus. De his qui apud haereticos Baptizari videantur. De Concilio. Adversus Lapsos. Commendatio illorum qui non Comunicaverunt iis qui temere Comunicaverunt Lapsis: et de poenitentia. De praeeminentia pastorum, et de Solicitudine quae in eis esse debet. Cypriani vitae Descriptio Brevis. De Cura pastoris. De pietatis opera et elemosina. De Bono patientiae. De Zelo et livore. De exhortatione Martyrii. De Mortalitate. De Disciplina et habitu virginum. De Sacramento Dominici Calicis. Ad Martyres. De unitate Ecclesiae. De Lapsis. De Oratione Dominica. De Unitate. Ut his Fratribus qui in carcere sunt Constituti omnis humanitas praebeatur. De Infantibus Baptizandis. De his qui per tormenta superati sunt. Quod Idola Dii non sint. De Cura populi. De Singularitato Clericorum. Adversus Iudaeos. De

precando deum pro peccatis. Exhortatoria ad passionem. Cypriani Epistola ad Quirinum: et libri tres In quibus duobus primis ostendit Iudaeos secundum quae fuerant ante praedicta recessisse, et Intelligentiam Domini, quae eisdem et pridem data et in posterum promissa fuerat, perdidisse. Successisse vero in eorum locum Christianos. In tertio vero Continetur Christi Sacramentum. De Laude Martyrii. De Baptismate hereticorum. Sententie Episcoporum. Cypriani Oratio. Cypriani Coena. Codex ornatissimus *In Serico Rubro* et munitus argento.

68. - Lactantii Firmiani Divinae Institutiones. De Opificio hominis. Lactantius de Ira Dei. De phoenice. De Resurrectione Christi. *In purpureo.*

69. - Lactantii Epitomae in Sextum et Septimum librum Institutionum adversus Gentiles. Plinii Epitomae a Lodovico Guasto Edita. Prisciani maioris Abbreviatio a Francisco patritio edita. In Rubro.

70. - Hylarii expositio In psalmos Beatus vir qui non abiit. Quare fremuerunt gentes. et in psalmum quinquagesimum primum usque ad centesimum quadragesimum nonum. Hylarius adversus Auxentium. Ad Constantium Imperatorem. Contra Constantium. De Fide Catholica Contra Arrianos. De Sancta Trinitate. *In Rubro.* (*ante Cyprianum* [?].)

71. - Hylarii pictaviensis Episcopi Commentum In Mattheum Evangelistam. Hylarius de Trinitate Contra Arrianos. De Synodis. *In Rubro.*

72. - (*Post opera Gregorii*). Leonis papae Sermones. De Ellectione sua Sermones III. De Collectis Sermones V. De Ieiunio Decimi mensis Sermones VIII. De Nativitate Dñi Nostri iesu christi Sermones X. De Epiphania Sermones VIII. De Quadragesima Sermones XII. Leonis papae Homilia Super Evangelium assumpsit Iesus petrum etc. De Passione Dñi ñri. I. Christi Sermones X et VIIII. De Resurrectione Dñi ñri I. christi Sermones II. De Ascensione Dñi ñri I. christi Sermones II. De Solennitate pentecostes Sermones III. De Ieiunio pentecostes Sermones IIII. Da Solemnitate Apostolorum Petri et Pauli Sermones II. In Octava Apostolorum praedictorum Sermo I. De Macabeis sermo I. In Passione Sancti Laurentii Sermo I. De Ieiunio Septimi Mensis Sermones VIIII. Leonis

Papae Homilia in Evangelium secundum Matth. Videns Iesus. Leonis Tractatus Contra heresim Euticetis. Petri Damiani Sermo de Absalone. Leonis Papae Decreta sive Epistolae inter quas una est Thuribium asturiensem Episcopum contra hereses Priscillianistarum. Gelagii Papae Decreta de recipiendis vel non recipiendis libris. Petri Damiani Cardinalis Epistola utrum Salomon sit Salvus. *In Rubro.*

73. - Paulini Episcopi Nolani Vita ab Uranio edita. Eiusdem Vita a Gregorio Papa Conscripta. Eiusdem Laus a diversis Scriptoribus. Paulini Episcopi Nolani Epistolae inter quas est Alippii Episcopi Sancti Epistola de Gratia Dei et libero Arbitrio. Augustini Episcopi ad Paulinum de Tredecim Dubiis petitis in Veteri et Novo testamento. Eiusdem ad Paulinum utrum prosit Cuiquam post mortem quod Corpus eius apud Sancti alicuius memoriam Sepeliatur. Augustini Epistola utrum voluntas Dei voluntati nostrae semper praeponenda sit. Paulini Epistola de perfectione et Charitate imitanda. De Vitandis Hereticis Epistola. Melaniae Matronae Illustrissimae et Sanctae historia. In paulini epistola. De patientia in infirmitatibus Tollerandis. Paulini Epistola De Gratia Dei. De Mutua Charitate habenda. De Charitate et poenitentia, et de quinque sensuum Cura habenda. De humilitate et patientia in persecutionibus habenda, et De mysterio trinitatis et In Carnationis Doñae. De patientia in adversis habenda; et De Contemptu mundi. De Avaritia Fugienda et de Elemosinis erogandis. De Ficu Cui Dominus maledixit. Contra illos qui dicunt non esse divinam providentiam In rebus humanis. Paulini versus quod omnia Creata sunt ab uno et summo Deo, et superna providentia regi Cuncta et Gubernari. *In Rubro.*

74. - Paulini Sanctissimi Episcopi Nolani In Laudem Sancti Foelicis. De Adventu Nicetae Episcopi ad Natalem Sancti Foelicis. Consolatio de Celso puero defuncto. *In Rubro.*

